EPITOME
THEOLOGIÆ MORALIS

AD

CONFESSARIORUM

EXAMEN EXPEDIENDUM

OPERA

MICHAELIS MANZO

SACERDOTIS NEAPOLITANI, EJUSDEM DIOECESIS
NEAP. EXAMINATORIS

DIGESTA

Tertia editio emendatior, atque auctior.

Addito Illmi, et Rmi Domini Josue de Costanzo Neap. Ecclesiae Cathedralis Canonici, Seminarii Urbani Rectoris, ac Examinatoris pro-Synodalis Tractatu *De Monialibus*.

PARS I.

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA PASCHALIS TIZZANO.

1841.

DEIPARAE,

SEMPERQUE VIRGINI,

ET

IMMACULATAE MARIAE.

Tibi quam maxime, Virgo Immaculata, haec Epitome erat dicanda: quam primo ex corde sacravi, atque iterum nunc grato, meritoque animo fidenter audeo. Ab incunabulis tuo sub tanto patrocinio advocatus, ut mihi semper Matrem Te benigne monstrares, adprecatus fui, et nunquam Te mihi deesse dignatam fuisse memini. Discrimina juventutis per Te recto calle pertransii, et a Te manu pene ductus ad sacra ascendere altaria gratiose promerui. Studia, et sacerdotii munera tua innixus dextera, atque oculis ad Te conversus perfacile expertus sum complere. Ægra mea valetudine tua ope, tutelaque tua superata, exercitationibus Theologico-Moralibus me addixisse non parum admiror. Quinimo aliqua exscribere, et typis mandare potuisse, tuae procul dubio miserationi adsignare liben-

ti animo profiteor. Itaque ob tot, tantaque cognita, et fere innumera alia mihi impervia beneficia a tuis maternis, pientissimisque manibus in me collata, primum hunc meum qualemcumque laborem, immo fructum tuae benedictionis, ac piissimae praesentiae Tibi Virgini Immaculatae jure, meritoque donare, dicare, et consecrare debebam.

Eapropter, misericors, et munificentissima Mater, ausui meo, et fidentiae misericorditer ignoscere, atque animum meum erga Te devotum benevole inspicere digneris. Munus hoc, ut Mater amantissima a me perquam indigno filio benigne excipere humiliter, obnixeque adprecor: et opus hoc tuo numine dirige, ut mihi haec Theologico-Moralia tradenti, consociis meis ipsa addiscentibus, cunctisque Christifidelium animabus ad eadem sese conformantibus, rectum, tutumque iter aggredi, tuosque in throno pedes sanctissimos tandem aliquando deosculari, prospere feliciterque contingat. Sub validioribus tuis auspiciis opus exordior, et ex Te usque adeo perficiam, donec coelesti requiescam in patria. Fiat, fiat.

MONITUM AD LECTOREM.

Quandoquidem mira in me Dei benignitate factum est, ut brevi temporis curriculo haec mea Theologiae Moralis Epitome tertio typis mandata, lucem adspiciat. Me autem non fugit ipsi Deo maximas debere gratias ex corde persolvere: Cui sane hujusce opusculi sive initium, sive progressum, non secus ac universa alia beneficia in me collata, accepta refero. Nec tamen amicorum officia mihi praetereunda sunt; quorum singuli tum meas hasce elucubrationes, ac studia cohortatione sua summopere provocantes, tum etiam commendationibus utrinque animum excitantes, opusculum hoc latino idiomate, ut ipsi volunt, probatum, rerumque delectu, atque utilitate satis idoneum, incitamento fuerunt, ut iterum praelo excudere voluerim: quo factum est, ut novo studio incensus, omnem curam, atque operam in eo unice collocarem, ut quavis menda detersa, et novo auctu ditata proderet isthaec nova editio.

Quod si alias, falso ductus consilio, editioni minus comptae intenderim, ne alios praegravarem pretio, atque ita faciliorem viam sternerem ad comparanda opusculi exemplaria; nunc vero

rebus satius perpensis, atque amicorum persuasionibus edoctus, elegantioribus potius typis mandari, et forma aptiori excudi statui; ut omni ex parte commodo, et oblectamento fiat satis.

At vero illud nedum mihi, verum etiam sapientibus, qui ad rigidam trutinam rem probant, quam maximam affert admirationem, quod sunt plerique ministerio excipiendi confessiones addicendi, qui brevitatis lenocinio fascinati, levi cujusdam exiguae Institutionis ductu Moralem Theologiam summis vix labiis degustantes, autumant, sese gravissimo proposito celerius expedire, animarum tamen regimini non impares efficere. Papae! Quid eo stultius? Enimvero brevitati studere expedit quidem, ejusmodi tamen esse non debet, ut in tam lata, et prope immensa morali disciplina parum, aut nihil, ut ita dicam, cognitionis efficiat. Siquidem, si acerbo juventutis judicio parcendum est, quae illecta, deceptaque diuturni laboris molestia liberari cupit; non tamen eorumdem praeceptoribus, et institutoribus, qui eis quasi pedissequi, non sine Reipublicae, et Christi Ecclesiae maximo detrimento, morem gerunt, erit jure indulgendum. Ecquis enim ignorare poterit gravia Patrum documenta, ac sensa, cum de animarum moderatione eloquuntur? Nam ait S. Gregorius Magnus: *ars artium regimen animarum. Scientia scientiarum*, inclamat Nazianzenus; *mihi esse videtur hominem regere*. Et D. Laurentius Justinianus inquit: *Gratia indiget plurima, et sapientia non modica, qui animas ad vitam resuscitare conatur*. Prae caeteris

exemplo sit nobis D. Ligorius, cujus sententias alioquin libenter, et aeque secure excipimus, qui ad docendos Sacerdotes Sacramenti Poenitentiae doctrinam toto incumbebat animo, atque iis approbandis ad ejusdem Sacramenti ministerium, minutis praemissis interrogationibus, quinque vel sex dies strenue insumebat. Rejicienda igitur contracta ejusmodi institutio rerum moralium cuique videbitur, quae Theologi pigmentum, et fucum refert potius.

Neque vero alia hac in re brevitatis ratio tenenda est, nisi quae principaliora hujusce scientiae principia complectatur, et doctrinas ad faciliores casus extricandos; quaeque saltem efficiat, ut possit minister prudenter dubitare de caeteris. Quapropter mediam sequi mihi proposui brevitatis methodum, et ita praegrandem Theologico-moralem scientiam ex latioribus Institutionibus in Epitomen hanc redegi; hoc sane consilio, ut licet contracta, non tamen manca et imperfecta deprehendatur: quod me assecutum fuisse non pauci sua sponte testati sunt.

Jam vero, ut pluries admonui, hanc Epitomen in tres partes dispescui; in quarum prima et altera omnes tractatus disposui, quos ediscere tironi Confessario opus est, ut interrogationibus, et examini satisfaciat. Tertiae vero perplures appendices adfixi, ut instructus, et ita idoneus evadat Sacerdos, quantum tanti muneris potestas exigit. Siquidem casus in nostra archidioecesi reservatos expendere conatus sum: item casus Ordinariis a jure reservatos, necnon enodationes notavi de specialiter reservatis Clementis VIII.

decreto, et de facultatibus Episcopis a Tridentino in Cap. *Liceat* concessis: insuper de abstinentia ab operibus servilibus, de Ecclesiastico jejunio; de jejunio ad Eucharisticam Communionem praerequisito, ac de peccatis capitalibus, quantum satis erat, disserere aggressus sum. Accedit tandem de dispensationibus ad matrimonii impedimenta brevis tractatio praecedenti editioni primum adjecta: quae quidem Confessario perquam utilis esse videtur. Nunc vero ad novam isthanc editionem exornandam fuerunt attexta plura additamenta de Sacramentis, et de Beneficiis: ut exstimulantibus meis amicis gratum, tibique commodum facerem. Postremo insertum habes huic tertiae Parti compendium explanationum in Bullam Cruciatae nostro Regno citra Pharum concessam, ac de rebus ad Moniales pertinentibus.

Illud porro, de quo alias te monui, hic animadvertas velim: me in rebus ad jus civile spectantibus primo loco exscripsisse doctrinas ex jure Romano depromtas, deinde sancita Codicis in nostro utriusque Siciliae Regno vigentis; id nempe plurium Doctorum vestigia premens, magis ad rem idoneum, et ad praxim accommodatum comperi (1). Quod autem sanctiones juris Romani una cum statutis nostri Codicis copulaverim, hoc perquam necessarium esse quisque per se

(1) Legesis Paschalem Falco, D. Alphonsum de Ligorio, Paulum Laymann, et alios: qui jus Romanum primo ad doctrinam exponendam adtulerunt, ac inde jus municipii illius, in quo opus exararunt, addiderunt.

facile intelliget. Constat enim Confessarios nedum edocendos esse regimen conscientiae incolarum nostratum, verum etiam quorumpiam Christifidelium ubique terrarum incolentium, quibus frequenter contingit huc sese conferre. Quomodo ergo se gerent, nisi eis vel erit facultas casus resolvendi per jus Romanum omnes gentes communiter attingens? Praeterquamquod cum praefatus Codex non longiori aevo inter nos invaluerit, juris Romani inscius implicari proculdubio sentiat necesse est, si occurrant casus illius aetatis. Numquid ejusmodi casus extricaturum ex novo Codice se merito duxerit? In erratum haud dubie impegerit, ac perperam se gessisse noverit. Tandem quis ignoret Codicem ipsum ex norma, atque elementis juris Romani, ut plurimum, esse congestum, ita ut novo vetus Codex vel maxime lucem praeferat.

Caeterum, Lector humanissime, pro ingenii mei tenuitate tuo commodo inservire studui; et solum tibi libenter animo proponas quaeso, eo consilio, et mente, quantum in me est, adlaboravi, ut meo muneri, qua civis, qua Sacerdos praesertim, facerem satis. Si quid in hac opella, crasso filo deducta, boni tibi obtingat, Deo, a quo omne donum, omneque lumen descendit, pro me, mecumque gratias age; ac in me caritate sollicitus, Eum depreceris obtestor, ut sua pietate obductus unice in Ipsum oculos intendam, et ipsi Divinae obsequar voluntati; ac tandem me coelesti et sempiterna benedictione donari velit: quam mihi ut Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis indulgeat. Vale.

TRACTATUS

DE ACTIBUS HUMANIS.

Q. 1. *Quid est actus humanus?*

R. Est ille, qui a voluntate deliberata procedit, scilicet cum advertentia, et libertate. Hinc differt ab actu hominis; quia iste non procedit a voluntatis deliberatione, scilicet absque advertentia, vel absque libertate, aut absque utraque fit (1).

2. *Quotuplicis generis sunt actus humani?*

Duplicis generis sunt: alii dicuntur eliciti, qui eliciuntur a voluntate, et in ipsa perficiuntur; alii vero imperati, et sunt illi, qui a voluntate imperantur, et per potentiam sive internam, sive externam perficiuntur.

3. *Quid est libertas?*

Est facultas agendi vel non agendi; agendi hoc vel illud; agendi hoc vel oppositum: habitis omnibus ad agendum requisitis.

4. *Quotuplex est libertas?*

Duplex est: a *coactione*, quae est immunitas ab omni vi exteriori; et a *necessitate*, quae est immunitas ab omni necessitate tam externa, quam interna (2).

---

(1) Advertentia est actus intellectus, quo cognoscitur objectum quale sit. Quae quidem duplex est: actualis nempe, et virtualis. Prima est, quando intellectus actu advertit; secunda est, quae virtute prioris advertentiae perseverat

(2) Necessitas naturae dicitur illa interna inclinatio, quae propriis viribus superari non potest: quae idem est, ac voluntarium necessarium. Coactio est omne id, quod exterius compellit aliquem ad aliquid faciendum contra voluntatis inclinationem.

5. *Quotuplex est libertas a necessitate?*

Triplex est: *contradictionis*, *specificationis*, *et contrarietatis*. Prima est facultas agendi vel non agendi; et in ea habetur essentia libertatis. Secunda est facultas agendi hoc vel aliud, servato ordine finis; in qua habetur exercitium libertatis. Tertia est facultas agendi hoc, vel oppositum; in qua habetur abusus libertatis.

6. *Ad actum humanum, sive ad merendum, vel demerendum, requiriturne libertas a necessitate, scilicet liberum arbitrium; an sufficiat libertas a coactione?*

Requiritur libertas a necessitate: uti patet ex Eccles. cap. XXXI. *Beatus vir . . . . qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit etc.* Patet etiam ex 3. famosa Jansenii prop. damnata ab Innoc. X. *Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

7. *Intellectus estne liber in suis actibus?*

Minime; quia est potentia passiva a voluntate dependens.

De Voluntario, et Involuntario.

8. *Quid est voluntarium?*

Est illud, quod procedit a voluntate cum cognitione finis, seu illius objecti, quod voluntas debet amplecti, vel non; ideoque idem est, ac actus humanus.

9. *Quid est volitum, et num differat a voluntario?*

Est illud, quod non semper dependet a voluntate, sed a voluntate adprobatur, et optatur. In hoc differt a voluntario: quod omne voluntarium est volitum, non contra (1).

---

(1) Spontaneum stricte sumptum est illud, quod procedit ab appetitu pure sensitivo sine ulla, vel saltem cum imperfecta cognitione finis. Naturale est illud, quod oritur ex innata inclinatione sine ulla cognitione finis. Hinc differunt a voluntario; quia voluntarium procedit a voluntate cum

10. *Quotuplex est voluntarium?*

Multiplex est: Perfectum nempe, et imperfectum. Primum est illud, quod a voluntate procedit cum perfecta cognitione finis, seu cum perfecta advertentia, et perfecto consensu; alterum vero est illud, quod procedit cum imperfecta cognitione, seu, vel cum imperfecta advertentia, vel cum semipleno consensu: uti actus semidormientis, actus semiebrii. Perfectum dividitur in necessarium et liberum: necessarium est, quod procedit a voluntate determinata ad unum; prout apprehenditur objectum vel uti summe amabile, vel uti summe odibile; uti amor felicitatis in genere, amor Beatorum in Patria. Liberum vero est illud, quod procedit a voluntate cum plena indifferentia; prout apprehenditur objectum nec summe amabile, nec summe odibile. Liberum subdividitur in directum, et in indirectum: directum, seu in se, est, in quod voluntas actu expresse tendit sive immediate, sive mediate. Indirectum est, in quod voluntas tendit in causa, idest vult causam, ex qua effectus est secuturus; uti blasphemia in ebriis.

11. *Quaenam conditiones requirantur, ut actus indirecte voluntarius sit culpabilis?*

Sequentes: ut agens advertat, vel advertere possit, et debeat ex tali actione effectum pravum esse oriturum. Ut possit non ponere causam, vel impedire effectum. Tandem ut teneatur non ponere causam, vel impedire effectum.

12. *Actus, qui sequuntur ex ebrietate, suntne indirecte voluntarii, et peccaminosi?*

Vel sunt ordinarii sive in ipso agente, sive in aliis, et sunt indirecte voluntarii, et peccaminosi: utpote praevisi, vel qui praevideri poterant. Vel sunt extraordinarii sive in ipso, sive in aliis; et non sunt peccaminosi.

---

cognitione finis. Proindeque differt voluntarium a violento; quia istud provenit a principio extrinseco, illud a principio intrinseco. Denique voluntario opponitur involuntarium, spontaneo coactum, naturali violentum.

13. *Qui ex equitatione se polluit, peccatne; et an ab illa teneatur se abstinere?*

Vel adest consensus, aut periculum consensus, peccat, et tenetur se abstinere. Vel consensus, et periculum conseusus deest: tunc si equitatio sit necessaria, vel utilis sive sibi, sive proximo, non peccat, nec tenetur se abstinere; si non sit necessaria vel utilis, peccat leviter (1).

14. *Quid est involuntarium?*

Est illud, quod fit vel contra, vel praeter determinationem voluntatis: uti quod fit per vim, vel per ignorantiam.

15. *Quotuplex est involuntarium?*

Duplex est: absolute, et secundum quid. Primum est, quod voluntas omnino non vult, et absolute respuit; secundum vero est, quod voluntas non vellet, sed in praesenti circumstantia vult: uti quando promittitur latroni dare centum ad evitandum periculum vitae.

16. *Quaenam causae tollunt, quaenam minuunt, et quaenam augent voluntarium?*

Tollunt vis absoluta, ignorantia invincibilis; et ex D. Thoma metus gravis, et concupiscentia antecedens, quando ita sunt vehementes, ut absorbeant omnem usum rationis. Minuunt metus gravis, ignorantia vincibilis, crassa, et supina, et concupiscentia antecedens. Augent vero ignorantia affectata, et concupiscentia consequens.

---

(1) Si pollutio sequatur ad pruritum vehementem abigendum, secluso consensu, et ejus periculo, nullum peccatum erit; peccatum leve vero, si pruritus sit non tam vehemens.

Si actio, ex qua sequitur pollutio, sit graviter turpis, peccatum mortale erit; si tantum venialiter turpis sit, magna suspicio oritur peccati gravis; praecipue, si sit saepe praevisa. Si actio sit grave peccatum in alia materia, peccatum veniale erit. At si istud grave inducat ad pollutionem: uti ebrietas, iracundia; tunc non erit pollutio mortaliter peccaminosa. Apud D. Lig. L. 3. n. 484.

De vi, et metu.

17. *Quid est vis?*

Est majoris rei impetus, qui repelli non potest (1).

18. *Quotuplex est vis?*

Duplex est: absoluta, et secundum quid. Vis absoluta est, quae a principio extrinseco omnino pendet, cui totis viribus interius, et exterius resistitur; *secundum quid* est, quae partim pendet ab agente extrinseco, partim ab intrinseco: quando scilicet non omnino resistitur. Ideoque pro vi absoluta requiritur omnis resistentia ex parte membrorum, et ex parte voluntatis.

19. *Quod fit per vim, estne voluntarium, ideoque peccaminosum?*

Quod fit per vim absolutam, est involuntarium, ideoque non peccaminosum; quod fit per vim secundum quid, est voluntarium, et peccaminosum.

20. *Potestne inferri vis voluntati?*

In actibus elicitis, et imperatis internis non potest; in actibus imperatis externis potest.

21. *Quid est metus?*

Est instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio.

22. *Quotuplex est metus?*

Multiplex est: alius est ab intrinseco, qui provenit a propria apprehensione timentis ob malum imminens a causa naturali, vel fortuita; alius est ab extrinseco, qui provenit a causa libera extra timentem posita: uti ab homine, a daemone. Metus extrinsecus potest esse justus, vel injustus: justus, quando metus merito incutitur a persona habente jus incutiendi; injustus, quando a persona non habente tale jus, vel immerito incutitur. Deinde metus est gravis, et levis. Gravis, quando malum, quod timetur, est grave, et probabiliter imminet; levis, quando malum, quod timetur, est leve, vel probabiliter non im-

(1) Ita Paul Juriscon. Leg. 2. §. de eo, quod metus causa.

minet. Hic metus gravis potest esse absolutus, et respectivus: prout malum, quod imminet, est grave respectu omnium, vel respectu alicujus. Denique metus potest esse antecedens, vel concomitans. Antecedens, quando praecedit actionem, ita ut illo ablato actio non fieret. Concomitans est, quando comitatur actionem, ita ut illo ablato actio facilius fieret (1).

23. *Quaenam conditiones requirantur, ut metus sit revera gravis?*

Sequentes: ut malum, quod timetur, sit revera grave, vel saltem ita reputetur; ut probabiliter immineat; ut incutiens metum sit potens, et solitus exequi minas; tandem ut non sit alia via ad effugiendum malum.

24. *Quid est metus reverentialis, et num sit gravis?*

Est ille, qui concipitur ex offensa majorum. Per se est levis, et talis in foro externo reputatur; fieri potest gravis in foro conscientiae, si sit conjunctus cum minis, et precibus importunis.

25. *Metus gravis excusatne a peccato?*

Vel actio est intrinsece mala sive per se, sive per accidens, non excusat; quia hujusmodi actio nullo modo cohonestari potest. Vel est mala, quia prohibita, excusat.

26. *Metus gravis excusatne a violatione praeceptorum?*

Vel praecepta sunt naturalia, vel positiva. Si sunt naturalia negativa, non excusat; isthaec enim violatio est intrinsece mala (2). Si sunt affirmativa, et actio

(1) Ex dictis patet, metum differre a vi; quia metus afficit potentias interiores, et vis exteriores; metus minuit, vis vero tollit voluntarium.

(2) Alii vero ita distinguunt: si actio potest cohonestari, excusat; si nullo modo potest cohonestari, non excusat. At supervacanea est haec distinctio. Nam quando actio potest cohonestari, uti in ablatione rei alienae in extrema necessitate, aut in occisione injusti aggressoris vitae cum moderamine inculpatae tutelae, tunc cessat praeceptum, seu non existit; ideoque non cohonestatur actio, sed est licita, quia non est contra praeceptum.

potest differri, excusat; si non potest differri, non excusat. Si praecepta sunt positiva aut divina, aut humana regulariter loquendo excusat. Dixi regulariter loquendo, quia si praeceptum sit circa id, quod a Deo praecipitur, uti medium absolute necessarium ad salutem animae; vel est circa materiam, et formam Sacramentorum; vel respiciat bonum fidei, et religionis, vel commune; aut inobservantia vertatur in contemptum fidei, legis, et legislatoris, vel in damnum commune; tunc non excusat; quia violatio fit per accidens intrinsece mala.

27. *Valetne votum emissum per metum gravem?*

Minime: si metus sit extrinsecus, et injuste incussus. Nam Deus non videtur acceptare talem promissionem non omnino liberam. Etsi hoc statutum sit a jure de voto in professione religiosa emisso, tamen Theologi ad omne votum simplex extendunt.

28. *Juramentum promissorium per metum gravem extortum estne obligatorium?*

Maxime; dummodo sit de re licita quomodocumque factum. Est autem adimplendum, modo adimpleri possit sine damno tertii, et praejudicio salutis spiritualis.

29. *Metus gravis excusatne a reservatione?*

Vel excusat a peccato, excusat a reservatione; secus, non excusat.

30. *Metus gravis excusatne a censuris?*

Vel metus excusat a peccato, excusat a censura; vel non excusat a peccato, quaestio est inter Doctores (1).

---

(1) Incutiens injuste vim, vel metum, debet resarcire injuriam, et compensare omnia damna ante sententiam judicis. Metum incutiens ad obtinendam absolutionem a censuris, vel revocationem earum, ipso facto incurrit in excommunicationem nemini reservatam ex cap. *Sacris*. De iis, quae vi, metusque causa.

De Ignorantia.

31. *Quid est ignorantia?*

Est privatio scientiae in subjecto capaci (1).

32. *Quotuplex est ignorantia?*

Multiplex est. Ex parte personae alia est invincibilis, alia vincibilis. Prima est illa, quae adhibita morali diligentia secundum personae statum, et conditionem vinci, et superari non potest; secunda est illa, quae adhibita morali diligentia secundum personae statum, et conditionem vinci, ac superari potest ab eo, qui tenetur. Ex parte rei dividitur in ignorantiam juris, facti, et poenae: prout ignoratur vel lex, vel factum, circa quod lex versatur, vel poena a lege imposita. Ex parte actus alia dicitur ignorantia antecedens, alia concomitans, alia consequens. Antecedens est illa, quae antecedit determinationem voluntatis; qua ablata actio non fieret. Concomitans est illa, quae comitatur actionem, seu cum qua, non ob quam actio fit; qua ablata actio facilius fieret. Consequens denique est illa, quae sequitur determinationem voluntatis, a qua indirecte procedit: quatenus poterat agens, et debebat adhibere diligentiam, ut sciret, et non adhibuit; ideoque ea sublata actio aliquando fieret, aliquando non.

33. *Quotuplex est ignorantia vincibilis?*

Duplex est: crassa seu supina, et affectata. Prima est, quando quis negligit, vel parum curat scire, quod scire tenetur. Secunda est illa, quando quis ex

---

(1) Ignorantia potest in subjecto esse vel purae negationis: quae est privatio cognitionis eorum, quae quis pro suo statu scire non potest; vel privationis: quae est defectus cognitionis eorum, quae quis pro suo statu scire potest, et tenetur; vel pravae dispositionis: quae est privatio cognitionis debitae conjuncta cum errore opposito: uti ignorantia mysteriorum fidei in haeretico. Ignorantia differt ab errore; prima enim est praeter scientiam, alter est contra scientiam. Differt etiam ab oblivione, et inadvertentia; quia ignorantia est habitualis, oblivio vero est actualis carentia scientiae.

industria scire non vult ea, quae scire tenetur, ad facilius peccandum (1).

34. *Quod fit per ignorantiam estne voluntarium, ideoque peccaminosum?*

Si fiat per ignorantiam antecedentem seu invincibilem, non est voluntarium, quia praeter voluntatis determinationem fit.; ideoque ab omni peccato formali excusat. Si vero fiat per ignorantiam consequentem, seu vincibilem, crassam et supinam, est minus voluntarium; propterea non excusat a peccato. Si per ignorantiam consequentem affectatam, est majus voluntarium, et peccatum; quia est directe voluntarium. Si denique per ignorantiam concomitantem fiat, non est voluntarium, neque involuntarium; sed est non voluntarium ex D. Thoma, quia actu non est volitum: scilicet est praeter voluntatis actualem determinationem; ideoque a peccato effectivo, non ab affectivo excusat.

35. *Num ignorantia vincibilis sit speciale peccatum?*

Vel haec ignorantia est de cognitione, quam habere tenemur ex speciali praecepto; est speciale peccatum contra illam virtutem, a qua oritur praeceptum: uti ignorantia mysteriorum fidei; quae ignorantia opponitur fidei. Vel ignorantia est de cognitione, quam habere tenemur in ordine ad aliquod agendum; non est speciale peccatum, sed est peccatum oppositum illi virtuti, contra quam ex tali ignorantia agitur: uti ignorantia in Judice, in Medico, quae non est speciale peccatum, sed peccatum contra justitiam, contra quam per ignorantiam agitur.

36. *An detur ignorantia invincibilis juris naturae?*

Vel loquimur de primis, et universalibus principiis: uti *Deus amandus*; *quod tibi non vis, alteri ne feceris*; non datur, quia sunt per se nota. Vel loquimur de conclusionibus immediate, et clare deductis ex illis principiis, ne datur quidem; quia facile deduci possunt. Vel denique loquimur de conclu-

---

(1) Ut ignorantia sit invincibilis, requiritur ut nulla ratio dubitandi agenti occurrat post adhibitam debitam diligentiam.

sionibus mediate, et non clare deductis ex illis principiis, datur; quia requiritur ratiocinatio, cujus non omnes sunt capaces: uti rustici, mentis hebetes (1).

37. *An supposito, quod datur ignorantia invincibilis juris naturae, peccet formaliter, qui illud violat ex tali ignorantia?*

Minime; quia cum sit involuntarium, non est peccatum; et oppositum est damnatum ab Alex. VIII (2).

38. *An possit dari ignorantia invincibilis juris positivi Divini?*

Si sermo sit de praeceptis moralibus, quae eadem sunt, ac praecepta juris naturae, vel saltem ad illa reducuntur; idem dicendum, quod dictum est de praeceptis juris naturae. Si vero sermo sit de praeceptis caeremonialibus, et credibilibus; dari potest in iis locis, in quibus non est Evangelium sufficienter promulgatum: ut constat ex Epist. D. Pauli ad Rom. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* et ex prop. Baji 68. damnata a Gregorio XIII, et Urbano VIII (3).

39. *Daturne ignorantia invincibilis juris humani?*

Maxime, quia nemo reperitur, qui omnes leges sciat.

40. *Daturne ignorantia invincibilis in proprio officio?*

Circa casus implicatiores, et extraordinarios datur; circa obvios, et ordinarios non datur.

41. *Ignorantia legis excusatne a peccato?*

Si est invincibilis, excusat; si vincibilis, non excusat.

---

(1) Conclusiones immediate deductae ex illis primis principiis sunt praecepta Decalogi. Si detur ignorantia istorum est vincibilis, quia provenit ex pravis consuetudinibus, et vitiis, quae potest homo repellere. Conclusiones mediate deductae sunt praecepta Decalogi involuta aliquibus circumstantiis.

(2) Haec est propositio 2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae; haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

(3) *Infidelitas pure negativa in iis, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.*

42. *Ignorantia legis excusatne a poena?*
Si ignorantia sit omnino invincibilis; excusat ab omni poena, quia excusat ab omni culpa. Sin excusat a gravi culpa, a gravi poena excusat. Si vero sit vincibilis; regulariter loquendo non excusat; quia posita culpa debetur poena. Dixi regulariter loquendo; quia si in lege adsint particulae: *audacter*, *temere*, *scienter praesumptuose etc.*, tunc omnis ignorantia excusat praeter affectatam. Nam lex requirit plenam scientiam in delinquente.

43. *Num ignorantia solius poenae excuset ab illa?*
Minime, quia non tollit culpam; ideoque nec poenam. Excipitur censura, et poena extraordinaria (1).

44. *Ignorantia censurae excusatne ab ea?*
Si ignorantia est invincibilis, excusat; quia non habetur contumacia. Si vero est vincibilis, regulariter non excusat. Dixi regulariter, quia si in prolatione censurae sint particulae: *scienter*, *praesumptuose* etc.; tuno omnis ignorantia excusat praeter affectatam (2).

45. *Ignorantia invincibilis solius reservationis excusatne a reservatione?*
Vel reservatio facta est a Summo Pontifice cum censura; et tunc, si ignorantia excuset a censura, etiam a reservatione excusat; quia Summus Pontifex reservat ratione censurae. Vel reservatio facta est a Pontifice sine censura, vel ab Ordinario; et tunc, si ignorantia excuset a peccato, etiam a reservatione excusat; secus, non excusat; quia reservatur principaliter ratione peccati.

---

(1) Hinc si quis sciat aliquid esse prohibitum *ex* jure naturae, vel divino, et invincibiliter ignorat esse ex jure humano prohibitum, et sub poena; non excusatur a poena; quia habetur culpa

(2) Si quis sciat aliquid esse prohibitum ab Ecclesia, sed invincibiliter ignorat esse prohibitum sub censura, communius est, excusari istum a censura; quia deest praemonitio, et ideo contumacia. Quamvis alii dicant, non excusari, si per legem Pontificiam, vel per canonem generalem sit aliquid sub poena probibitum.

46. *Ignorantia invincibilis irregularitatis excusatne ob irregularitate?*

Minime, si sit irregularitas ex defectu; si vero ex delicto; quaestio inter Doctores.

47. *Ignorantia invincibilis legis irritantis excusatne ob irritatione?*

Vel lex irritat ob praesumptionem juris, seu periculi, non excusat; quia semper adest periculum, ne quid fiat contra bonum commune. Vel irritat ob praesumptionem facti, seu ob vindictam culpae; tunc si ignorantia excuset a culpa, excusat etiam ab irritatione.

48. *Qui recipit beneficium per simoniam ab alio commissam, et simoniam istam invincibiliter ignorat, potestne illud retinere?*

Minime: talis enim collatio ipso jure est irrita; ignorantia quidem excusat a culpa, non vero dat valorem actui (1).

49. *Danturne casus, in quibus est valida collatio sic facta?*

Maxime: 1. quando sciens simoniam tertii ipse ante collationem reclamavit, et postea bona fide beneficium recepit; 2. quando tertius commisit simoniam in odium provisi (2).

50. *Danturne casus, in quibus post reclamationem etiam est nulla hujusmodi collatio?*

Maxime: 1. quando post reclamationem sciens simoniam tertii, vel de ea dubitans, beneficium recipit; 2. quando pecuniam ab alio solutam, vel promissam ipse solvit ante collationem (3).

51. *Qui bona fide recipit beneficium per simoniam ab alio commissam, potestne illud praescribere?*

Maxime: per triennalem possessionem ex reg. 36. Cancellariae de triennali possessione.

52. *Ignorantia excusatne a restitutione damni illati?*

---

(1) Ex cap. *Nobis fuit*. De Simonia.
(2) Ex cap. *Sicut tuis litteris*. De Simonia.
(3) Ex eodem cap. *Sicut tuis*.

Si est antecedens, vel concomitans, excusat; si vero est consequens, non excusat.

53. *Num ignorantia possit prodesse ad praescribendum?*

Si ignorantia est vincibilis, non prodest; quia deest bona fides. Si est invincibilis juris, et ne prodest quidem; si est facti, et prodest: sic enim statuerunt jura (1).

54. *Danturne casus, in quibus ignorantia juris prodest ad praescribendum?*

Maxime: et 1. si ignorantia sit circa jus obscurum, et dubium, de quo sunt diversae opiniones Doctorum; 2. si ignorantia sit omnino inculpabilis: uti in rustico, milite, minore non habente copiam consultoris.

De Concupiscentia.

55. *Quid est concupiscentia?*

Est actus appetitus sensitivi prosequentis bonum, vel fugientis malum (2).

56. *Quotuplex est concupiscentia?*

Duplex est: antecedens, et consequens. Prima est, quae naturaliter exurgit in nobis ex appetitu sensitivo, et praevenit omnem determinationem voluntatis. Secunda est, quae excitatur in nobis a propria voluntate in appetitu sensitivo.

57. *Estne peccatum concupiscentia?*

Vel sermo est de ipsa concupiscentia, non est peccatum, sed a peccato est, et ad peccatum inclinat ex Trid. sess. 5. Vel sermo est de inordinatis concupiscentiae actibus; tunc si sunt primo-primi, non sunt peccaminosi; si secundo-primi, sunt leviter peccaminosi; quia non habetur plenus consensus, vel

---

(1) L. 4. §. *De juris, et facti ignorantia.*

(2) Heic concupiscentia sumitur prout est actus appetitus sensitivi: qui est animae inclinatio in aliquod bonum particulare, quae sensuum cognitionem sequitur; non prout est propensio ad malum, seu fomes peccati. Porro partes, seu species appetitus sensitivi, sunt concupiscibilis, et irascibilis.

plena advertentia; si sunt plene deliberati, tunc sunt graviter, vel leviter peccaminosi, prout est materia.

De Moralitate actuum humanorum.

58. *Quid est actus moralis?*

Est ille, qui est conformis, vel difformis regulis morum. Hinc si est conformis, dicitur bonus; si est difformis, dicitur malus; si neque est conformis neque difformis, dicitur indifferens.

59. *Quotuplex est actus indifferens?*

Duplex est: objective, et in individuo; primus est, quando objectum neque est bonum, neque malum; secundus, quando agitur ex determinatione voluntatis neque bona, neque mala.

60. *Potestne dari actus indifferens?*

Objective datur, in individuo vero non datur. Nam unusquisque tenetur ex praecepto omnes actus ad Deum dirigere. Si dirigit, sunt boni; si vero non dirigit, sunt mali.

61. *Actus moralis differtne ab actu humano?*

Rigorose loquendo differt: uti videre est in pueris, qui ex determinatione voluntatis agunt sine cognitione finis, seu moralitatis actionis. In adultis vero uterque confunditur ex D. Thoma.

62. *Quaenam sint principia moralitatis actionis?*

Sunt objectum, finis, et circumstantiae actionis. Hinc bonitas, vel malitia actionis primario desumitur ex objecto, secundario ex circumstantiis; inter quas primum locum habet finis extrinsecus.

63. *Potestne aliquando bonitas, vel malitia actionis primario desumi ex circumstantiis?*

Maxime: quando actio est bona ex objecto, et fit ex fine malo; et quando actio est indifferens, et ex fine fit bona, vel mala.

64. *Circumstantia leviter mala destruitne totam bonitatem actionis?*

Si est causa actionis, destruit, quia totam vitiat actionem; si vero non est causa, tantum minuit bonitatem actionis.

65. *Bonitas finis extrinseci tollitne malitiam pravae actionis ?*

Minime, sed tantum minuit ; quia bonum debet esse ex integra causa, malum ex quocumque defectu; et ex D. Paulo non sunt facienda mala, ut veniant bona.

66. *Actus externus affertne novam malitiam actui interno ; et estne exprimendus in confessione ?*

Si actus externus est conjunctus actui interno, non affert novam malitiam ; quia imperium voluntatis, et ipse actus imperatus sunt unus actus humanus. Si vero est sejunctus ab actu interno, tunc novam malitiam affert. Semper vero est exprimendus in confessione ob rectum judicium Confessarii, ob censuras, reservationes, obligationes restitutionis, quae solum actui externo adnectuntur. Uti desumitur ex prop. damnata ab Alex. VII. (1).

(1) Prop. 25. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens : commisi grave peccatum cum soluta contra castitatem, non explicando copulam.*

TRACTATUS

DE CONSCIENTIA.

Q. 1. *Quot sunt regulae moralitatis ?*

R. Duae : lex, et conscientia ; lex remota, conscientia proxima.

2. *Quid est conscientia ?*

Est dictamen rationis applicatum ad opus.

3. *Quid est synderesis ?*

Est habitus intellectus inclinans ad assentiendum primis principiis moralibus, et practicis.

4. *Differtne conscientia a synderesi ?*

Maxime : prima est actus, secunda vero habitus; conscientia agit de conclusionibus, synderesis de primis principiis ; haec est infallibilis, illa vero fallibilis.

5. *Quot sunt actus conscientiae ?*

Tres : testificari, ligare, et accusare. Conscientia testificatur, cum reddit nos certos de aliquo facto, vel non ; ligat, cum reddit nos certos de aliquo faciendo, vel non ; accusat, cum dictat num aliquod sit bonum, vel malum.

6. *Quotuplici modo dictat conscientia ?*

Multiplici modo : vel sub praecepto, vel sub consilio, vel sub permissione. Sub praecepto, quando dictat sub peccato. Sub consilio, quando dictat absque peccato, sed ad majus meritum. Sub permissione, quando dictat neque sub praecepto, neque sub consilio. Hinc quando dictat malum fugiendum, semper dictat sub praecepto ; quando bonum faciendum, aliquando sub praecepto, aliquando sub consilio.

7. *Quotuplex est conscientia ?*

Multiplex est : recta, et erronea, certa, probabilis, dubia, perplexa, et scrupulosa.

De Conscientia recta, et erronea.

8. *Quid est conscientia recta?*

Est illa, quae ex veris principiis veras deducit conclusiones: seu dictat bonum esse bonum, malum esse malum.

9. *Quotuplex est conscientia recta?*

Duplex: speculative et practice recta, et practice tantum recta. Prima est quando est recta ex parte rationum, et ex parte rei; altera, quando est recta tantum ex parte rationum.

10. *Qui agit contra conscientiam rectam, peccatne?*

Qui agit contra conscientiam dictantem sub praecepto, peccat graviter, vel leviter, prout conscientia dictat; nam ex Apost. ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide* (seu ex conscientia) *peccatum est.* Si conscientia confuse dictaverit, an peccet graviter, litigium inter Doctores.

11. *Quid est conscientia erronea?*

Est illa, quae ex veris, vel falsis principiis semper falsas deducit conclusiones: seu dictat malum esse bonum, bonum esse malum.

12. *Quotuplex est conscientia erronea?*

Duplex est: invincibilis, et vincibilis. Invincibilis est, quae provenit ab errore, qui adhibita morali diligentia vinci, et superari non potest. Vincibilis est, quae provenit ab errore, qui adhibita morali diligentia vinci, ac superari potest.

13. *Peccatne qui agit contra conscientiam erroneam?*

Maxime: sive sit vincibilis, sive invincibilis; quia agit contra putatum dictamen rationis. Peccat vero graviter, vel leviter, prout apprehendit; et peccat contra illam virtutem, quam intendit laedere.

14. *Quaenam conditiones requirantur, ut agens contra conscientiam erroneam peccet?*

Sequentes: ut conscientia sit antecedens, et revera erronea; ut sit praecipiens, vel prohibens; et ut sit liberum, quod fit contra conscientiam (1).

---

(1) Qui ex conscientia erronea credit incurrere poenas,

15. *Peccatne, qui agit secundum conscientiam erroneam?*

Si agat secundum conscientiam erroneam invincibilem, non peccat; quia deest voluntarium. Si vero secundum conscientiam erroneam vincibilem, peccat; quia adest indirectum voluntarium. At si agat bonum revera tale, quod erronee putat esse praeceptum, non peccat; quia revera bonum agit.

16. *Laborans conscientia erronea teneturne illam deponere?*

Maxime: adhibendo diligentiam, scilicet petendo consilium, studendo, orando, et alia media quaerendo.

17. *Quomodo se gerere debeat Confessarius circa poenitentem laborantem conscientia erronea?*

Si conscientia est vincibilis, debet Confessarius monere poenitentem, quia est indispositus. Si est invincibilis, et distinguendum: vel est circa ea, quae sunt necessaria necessitate medii ad salutem, debet monere; et in contrarium adest prop. damnata ab Innocent. XI. (1); sicut etiam debet, si haec ignorantia sit circa necessaria ad valorem Sacramenti suscipiendi, vel cedat in damnum commune. Si vero sit circa alia; et tunc si admonitio est profutura, est per omnes Theologos facienda; si est obfutura, per omnes non est facienda; si non profutura, et quaestio est. At omnes docent, non esse faciendam admonitionem circa ignorantiam invincibilem de matrimonio nullo vel dubio, vel circa jus petendi, et effectus censurae.

De Conscientia certa, et probabili.

18. *Quid est conscientia certa, et an semper requiratur in agendo?*

Conscientia certa est dictamen rationis practicum, quo prudenter, et firmiter judicamus hic, et nunc

---

quando poenae revera non adsunt, non incurrit; quia poenae non incurruntur, quando non existunt.

(1) Et haec est prop. 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei.*

sine formidine de opposito aliquid faciendum, uti bonum, vel omittendum, uti malum. Semper requiritur in agendo, quia moraliter saltem debemus esse certi de honestate nostrae actionis, ut prudenter agamus; et ex Apost. ad Rom. *Omne, quod non est ex fide* (seu ex conscientia) *peccatum est.*

19. *Quid est conscientia probabilis?*

Est illa, quae ex gravi fundamento, sed non omnino certo, adhaeret uni parti cum formidine de opposito.

20. *Quotuplex est conscientia probabilis?*

Multiplex est: alia est levis probabilitatis, et alia verae probabilitatis. Prima habetur, quando levi fundamento nititur. Secunda habetur, quando gravi fundamento nititur. Deinde alia est ab intrinseco, alia ab extrinseco. Prima, quae fundatur in rationibus; altera, quae fundatur in auctoritate Doctorum. Probabilis potest esse probabilior, vel probabilissima, prout graviori, vel gravissimo fundamento innititur cum minori, vel minima formidine de opposito (1).

21. *Quaenam dicitur conscientia tuta?*

Est illa, quae semper amplectitur, quod legi favet; et ideo excludit omne periculum peccandi tam formale, quam materiale.

22. *Estne licitum sequi opinionem probabilem?*

Vel est levis probabilitatis, non licet; quia imprudenter agimus, et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. (2). Vel est verae probabilitatis, et videndum: si est sola licet, quia prudenter agimus; si est in concursu cum alia opinione; tunc si est probabilior pro libertate, et probabilis pro lege, regulariter

(1) Quando judicatur in genere, scilicet utrum liceat hoc facere, non veniendo ad praxim, dicitur opinio probabilis; quando judicatur de honestate alicujus rei, hic, et nunc faciendae, dicitur conscientia probabilis.

(2) Prop. 2. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quamvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeamus, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

loquendo possumus sequi illam probabiliorem pro libertate; et oppositum est damnatum ab Alex. VIII. (1). Si probabilis pro libertate, et aeque probabilis, vel probabilior pro lege; magnum dissidium est inter Probabilioristas, et Probabilistas, et Aequeprobabilistas. Dixi regulariter loquendo, posse sequi probabiliorem pro libertate; quia in materia, et forma Sacramentorum; in iis, quae sunt necessitate medii ad salutem; in materia justitiae civilis, et medicaminum, tenemur semper sequi opinionem tutam, uti constat ex propositionibus damnatis ab Inn. XI. (2).

23. *Possumusne aliquando ministrare Sacramenta, vel uti medicamine, vel exercere justitiam cum opinione probabili?*

Maxime: possumus administrare Baptismum, et Poenitentiam in casu extremae necessitatis, quando haberi non potest alia materia, nisi probabilis. In morbo curando, quando aliud medicamen non potest inveniri: melius est dubium remedium applicare, quam nullum. In causis criminalibus potest exerceri justitia cum opinione probabili in favorem rei, si nullum adsit praejudicium tertii; quia sic jura statuerunt ex L. Si absente §. de poenis: *Satius est impunitum esse facinus nocentis, quam innocentem condemnare.*

---

(1) Prop. 3. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

(2) Prop. 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

Prop. 2. *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

Prop. n. 4. *Excusabitur ab infidelitate Infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

En ratio: Sacramenti valor pendet ab institutione Christi, non a rationibus; sicut medicina a natura sumit efficaciam, non a ratiociniis; et agitur de vita hominis. Omissio etiam inculpabilis illorum, quae sunt necessaria necessitate medii ad salutem, non excusat pro salute aeterna obtinenda. Denique in justitia in causis civilibus adest damnum tertii.

24. *Licetne in administratione Sacramentorum sequi opinionem probabilem circa jurisdictionem in Ministro ?*

Vel jurisdictio respicit ordinem exteriorem, uti in Baptismo, Confirmatione etc., licet. Vel respicit validitatem, ut in Poenitentia, et Matrimonio; quaestio inter Probabilistas, et Probabilioristas (1).

25. *Cum litigantium sint jura aequalia, potestne judex accipere pecuniam ab una parte, et pro ea adjudicare ?*

Minime: et oppositum est damnatum ab Alex. VII. (2). Hoc in casu debet judex vel componere partes, vel constituere arbitros, vel pro parte rem adjudicare.

26. *Potestne advocatus in patrocinio causae sequi opinionem probabilem, vel dubiam ?*

In criminalibus pro reo potest, quia inducit judicem ad judicandum secundum jus, uti supra dictum est. In civilibus, quaestio est inter Theologos Probabilistas, et Probabilioristas (3).

27. *Auctoritas unius redditne aliquam opinionem probabilem ?*

Si ista opinio probatur rationibus validis, et op-

---

(1) Probabilistae docent, jurisdictionem pendere ab Ecclesia; cum propositio loquatur de forma, et materia. Probabilioristae defendunt, jurisdictionem a forma pendere; et cum in forma Sacramenti tenenda sit opinio tuta; ergo etiam in jurisdictione, quae a forma pendet, et sumit valorem.

(2) Prop. 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.*

(3) Qui negant, dicunt, in hoc casu advocatum inducere judicem ad judicandum pro causa probabili. Qui affirmant, dicunt esse munus advocati exponere rationes faventes suo clienti, non vero inducere judicem ad judicandum pro causa probabili; debet enim judex librare rationes, et ob has judicare. Hujusmodi sententiae adhaeret Antoine, et alii cum Anacleto.

Debet tamen advocatus suscipiens patrocinium causae probabilis advertere clientem de statu causae, et de periculo: aliter tenetur ad expensas, seu damna.

posita omnino repellitur, opinio tunc probabilis erit. Hinc non licet sequi uti probabilem, opinionem, quae in libro alicujus junioris, et moderni auctoris occurrit, etiamsi non constet librum rejectum esse a Sede Apostolica uti improbabilem; et oppositum est damnatum ab Alex. VII. (1). At quisque potest acquiescere auctoritati sui Confessarii, vel sui Episcopi, vel sui Superioris; dummodo non constet, esse improbabile, quod dicitur.

De Conscientia dubia.

28. *Quid est conscientia dubia?*

Est illa, quae inter aequales oppositas rationes neutri parti determinatum praestat assensum, sed remanet anceps inter utrumque.

29. *Quotuplex est conscientia dubia?*

Negative dubia, et positive dubia. Prima dicitur, quando pro neutra parte adsunt rationes (2). Secunda dicitur, quando pro utraque parte adsunt aequales rationes. Deinde speculative dubia, et practice dubia. Speculative dubia habetur, quando dubitatur in genere, non veniendo ad praxim: scilicet an aliquid sit licitum, vel non; practice dubia habetur, quando dubitatur in specie, veniendo ad praxim: scilicet an hic, et nunc in praesenti circumstantia liceat aliquid faciendum, vel non. Denique alia est dubia juris, alia facti, prout dubitatur de lege, aut de facto.

30. *Estne licitum agere cum conscientia dubia?*

---

(1) Prop. 27. *Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis.*

(2) Aut leves, seu nullius ponderis adsunt rationes; ideoque conscientia negative dubia potius dicenda nescientia: quia dubium proprie dicitur, quod est inter aequales rationes.

Dubium differt ab opinione, et suspicione in hoc, quod in dubio mens neutri parti adhaeret, sed anceps remanet; in opinione adhaeret uni parti cum formidine de opposito: in suspicione vero nulli parti adhaeret, sed potius ad unam, quam ad alteram inclinat.

Minime; quia sic agens se exponit periculo peccandi juxta illud Eccles. *qui amat periculum, peribit in illo.* Hinc cum dubio quis agens peccat graviter, vel leviter prout dubitat; et contra illam virtutem, cui opponitur actio, quae fit cum dubio.

31. *Quomodo tollitur conscientia dubia?*

Adhibendo diligentiam in veritate inquirenda, et recurrendo ad Deum, studendo, vel petendo consilium a viris probis, et peritis.

32. *Quid si post adhibitam diligentiam dubium adhuc maneat, tenemurne servare legem, an sequi possumus libertatem?*

Vel dubium est de justitia legis, aut de cessatione, aut de adimpletione; per omnes Theologos tam Probabilistas saniores, quam Probabilioristas tenemur servare legem ob diversas rationes: per primos, quia possessio stat pro lege; per alteros, ne nos exponamus periculo violandi legem. Vel dubium est de existentia legis, aut de inceptione, seu de tempore obligationis; et quaestio est. Probabilistae docent, non teneri ad legem, quia possessio stat pro libertate. Probabilioristae affirmant teneri ad legem, ne exponamus nos periculo violandi legem, et in dubiis tutior pars est eligenda.

33. *Dubitans de voto teneturne ad votum?*

Vel dubitat de emissione voti; per Probabilistas non tenetur, per Probabilioristas tenetur, ob allatas superius rationes. Vel dubitat de intentione, seu de emissione voti cum sufficienti advertentia, consensu, vel voluntate se obligandi, per omnes tenetur; quia actus praesumitur factus juxta suam naturam. Vel tandem dubitat de adimpletione, vel de obligatione voti in aliquo casu; per omnes Theologos tenetur, ob diversas rationes superius allatas.

34. *Quid si dubium sit de duratione voti, vel de qualitate, aut de quantitate rei promissae?*

Per Probabilistas tenetur ad minus; quia in odiosis benigne facienda est interpretatio; per Probabilioristas vero tenetur pro rata dubii, seu pro medietate quoad dubium.

35. *Dubitans de censura teneturne se gerere uti censuratum?*

Maxime: sive dubium sit juris, sive facti; quia sic cautum est jure ex cap. *Illud Dominus* de clerico excom. minist. (1).

36. *Dubitans de irregularitate teneturne se gerere uti irregularem?*

Tempore diligentiae debet uti talem se gerere. Diligentia expleta, et dubio non excusso; si dubium est juris non debet se gerere uti irregularem, quia non contrahitur irregularitas, nisi expressa sit in jure; si dubium est facti circa homicidium; tenetur, quia sic cautum est jure: si vero circa aliud; quaestio inter Theologos.

37. *An peccatum dubium censendum sit reservatum?*

Vel dubium est facti, tunc non est censendum reservatum juxta communiorem sententiam; quia peccatum, ut sit reservatum, debet esse certum. Vel est juris; quaestio est inter Doctores.

38. *Qui dubitat de valore Matrimonii, ad quid tenetur: idest an possit petere, et reddere?*

Pars dubitans debet adhibere diligentiam, et tempore diligentiae non potest petere, neque reddere intra bimestre, nondum matrimonio consummato; post bimestre, vel matrimonio consummato, tenetur tantum reddere ex. cap. *Dominus.* Diligentia adhibita, et dubio non excusso; tunc si dubium est antecedens, non potest intra bimestre, matrimonio non adhuc consummato, petere, neque reddere (2); post bimestre,

---

(1) At ex D. Lig. lib. 7. n. 67. In dubio an censura sit incursa, necne, in foro conscientiae non tenemur nos gerere ut censuratos. Et hoc sive dubium sit facti, sive juris: nempe si dubitetur commissumne fuerit delictum, cui adnexa est censura; vel si dubitetur, utrum censura fuerit latae, vel ferendae sententiae; aut conditio apposita in sententia fuerit adimpleta, vel non. De aliis dubiis secus dicendum.

(2) Non potest petere, quia est in dubio, non potest reddere, quia altera pars non habet jus.

Qui cum dubio contrahit matrimonium peccat contra religionem ob periculum nullitatis Sacramenti; contra justitiam

vel matrimonio consummato, potest tantum reddere, et non petere, quia altera pars existens in bona fide habet jus.

Si dubium est consequens, per aliquos Probabilioristas potest tantum reddere, et non petere; per Probabilistas, et per plures Probabilioristas potest petere, et reddere; quia dubium superveniens bonae fidei obesse non debet. At si ambo contraxerunt dubia fide, seu cum dubio antecedenti, non possunt petere, neque reddere.

39. *Quid si post adhibitam diligentiam matrimonium inveniatur esse nullum, potestne quis reddere?*

Minime, quia esset vera fornicatio haec redditio (1).

De Conscientia perplexa, et scrupulosa.

40. *Quid est conscientia perplexa?*

Est illa, quae in praxi in utraque parte dictat inesse peccatum: sive agatur, sive non; sive hoc, sive illud.

41. *Ad quid tenetur, qui laborat conscientia perplexa?*

Si conscientia est vincibilis, eam tenetur deponere: secus semper peccat, sive agat, sive non; quia error est voluntarius (2). Si autem est invincibilis, et non potest eam deponere, post preces fusas ad Deum debet eligere minus malum. Si utrumque sibi videatur aequale malum, potest quodcumque eligere, quia deest libertas.

42. *Quid est conscientia scrupulosa?*

Est inanis suspicio peccati orta ex levibus conjecturis.

---

laedendo compartem in re gravi existentem in bona fide; contra castitatem, quia se exponit periculo violandi castitatem.

(1) Ex cap. *Inquisitionis* de sent. excom. in 6.

De dubio possessionis in tractatu de Restitutione n. 37.

(2) Hoc in casu debet elicere actum doloris retractando causam, et sic fit invincibilis, seu inculpabilis error.

*

43. *Quaenam sint signa conscientiae scrupulosae ?*

Sunt pertinacia intellectus in proprio judicio ; mutatio frequens judicii circa idem ex levi motivo ; incongruae reflexiones, advertendo innumeras, et inconvenientes circumstantias ; et timor peccandi in omnibus.

44. *Unde oriantur scrupuli ?*

Ex debilitate, et inconstantia mentis ; ex melanchonia ; ex frigiditate cerebri, et complexionis ; ex superbia, ignorantia, tentatione daemonis ; ex voluntate Dei, et ex conversatione cum scrupulosis.

45. *Estne licitum agere contra scrupulos ?*

Maxime : imo adest obligatio agendi contra scrupulos ; quia isti nocent et animae, et corpori.

46. *Quaenam sint remedia contra scrupulos ?*

Fuga otii, et scrupulosorum ; oratio ad Deum ; exercitium humilitatis, et praesertim obedientiae erga Confessarium : qui debet semper scrupulis laboranti resistere (1).

(1) Lege D. Ligorium in Praxi Confessariorum.

TRACTATUS

DE LEGIBUS.

De natura, et origine legis.

Q. 1. *Quid est lex?*

R. Est recta ratio agendorum a publica potestate communitati denunciata cum voluntate perpetuo obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum ob bonum commune (1).

2. *Quotuplex est lex?*

Triplex est: aeterna, naturalis, et positiva. Prima est ipsemet Deus, qui est ipsemet ordo, jubens quid faciendum, vel omittendum. Secunda est lumen naturale rationali creaturae a Deo insitum, quo discernitur honestum a turpi. Tertia denique est, quae provenit a libera voluntate legislatoris Divini, vel humani (2).

3. *Quotuplex est lex positiva?*

Duplex est: Divina, et humana. Prima a Deo; secunda fertur ab homine.

4. *Quotuplex est lex positiva Divina, vel humana?*

Divina duplex est: vetus, et nova. Prima est illa, quae data fuit a Deo per Moysen populo Ju-

(1) Lex differt a praecepto in hoc: quod lex afficit locum, et personas ibi commorantes; praeceptum afficit tantum personas ubicumque manentes: lex transit ad posteros; praeceptum ordinario expirat morte, vel amotione praecipientis, et plerumque morte subditi.

(2) Lex naturalis differt a positiva, quia ista est mutabilis, illa immutabilis: quod prohibet prima, est prohibitum, quia malum; quod prohibet secunda, est malum, quia prohibitum.

daico. Secunda, quae data fuit a Christo hominibus, et per Apostolos promulgata. Lex humana dividitur in Ecclesiasticam, Civilem, et Gentium. Prima, quae fertur a Superiore Ecclesiastico ob bonum spirituale; secunda ab auctoritate saeculari fertur ob bonum commune temporale; tertia est jus a gentibus fere omnibus introductum; quod quidem duplex est: primarium, et secundarium; primarium est idem, ac jus naturale gentibus accommodatum; secundarium est quoddam jus usu, et consuetudine a gentibus adoptatum ob communes eorum necessitates (1).

5. *Quaenam sunt conditiones requisitae ad legem?*
Plures: ut sit justa, honesta, possibilis, necessaria ad bonum commune, perpetua, et promulgata.

6. *Requiriturne promulgatio, ut lex obliget?*
Maxime; quia non potest lex subditos ligare, nisi sit eis notificata ex D. Thoma 1. 2. q. 35. art. 3.

7. *Lex promulgata obligatne statim?*
Litigium inter Doctores. Alii dicunt obligare post duos menses; alii affirmant statim obligare in eo loco, in quo est promulgata; in aliis vero locis, post illud tempus, quo notitia legis promulgatae ordinario modo ad ea loca pervenire poterat (2).

8. *Num requiratur acceptatio populi, ut lex obliget?*
Minime. Nam secus nullius momenti esset potestas legislativa apud Superiorem.

9. *Peccatne populus, qui legem justam non acceptat?*
Vel non acceptat sine justa causa, peccat: ut patet ex prop. damnata ab Alex. VII. (3); vel non

---

(1) Lex humana potest esse vel moralis, vel poenalis: prima obligat tantum in conscientia; secunda, si obligat tantum ad poenam, dicitur simplex poenalis; si in conscientia, et ad poenas, dicitur mixta poenalis.

(2) Quando leges erant Imperiales, et Principum Imperatori subjectorum, obligabant post duos menses.

Ex Codice vigente in Regno nostro Neapolitano lex civilis obligat post diem promulgationis in loco, in quo est promulgata; in aliis locis adduntur totidem dies pro singulis viginti milliariis distantiae; part. 1. a 1. 2.

(3) En prop. damnata n. 28. *Populus non peccat, e-*

acceptat ex justa causa recurrendo ad Principem, non peccat; et interim lex suspensa remanet.

De causa efficiente legem humanam.

10. *Daturne in hominibus potestas condendi leges?*
Maxime, et est de fide: uti patet ex Apost. ad Rom. cap. 12. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; et ex Parabolis Salomonis: *per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.*

11. *Quinam possunt leges Ecclesiasticas condere?*
Summus Pontifex, et Concilium generale pro universa Ecclesia; Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, et omnes alii habentes jurisdictionem in foro externo pro locis suae jurisdictionis.

12. *Declarationes, et decreta sacrae Congregationis Cardinalium habentne vim legis?*
Maxime: si sint approbatae a Pontifice, et de ejus mandato promulgatae, ac sigillo Congregationis munitae; secus, habent tantum auctoritatem doctrinalem.

13. *Quinam possunt leges civiles ferre?*
Illi, apud quos reperitur suprema potestas. Hinc rex in monarchia, optimates in aristocratia, et populus in democratia (1).

De subjecto legis.

14. *Quinam tenentur leges humanas observare?*
Tenentur subditi rationis compotes.

15. *Quaenam aetas requiratur, ut quis teneatur ad leges humanas?*
Aetas usus rationis, quae circa septennium solet

---

tiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

(1) Summus Pontifex post condere leges civiles pro suis dominiis temporalibus. Principes saeculares possunt leges Ecclesiasticas indirecte condere ad custodiam, et protectionem fidei, et Ecclesiae.

apparere ; vel ea aetas, quae sit ab ipsa lege determinata : uti accidit in lege jejunii , in praecepto annuae communionis.

16. *Legislator teneturne ad leges a se , vel a suis praedecessoribus latas ?*

Maxime , et ex vi directiva : quando sunt accommodatae subditis , et sibi. Si non sunt sibi accomodatae , non tenetur ; dummodo sit ipse solus legislator.

17. *Clerici tenenturne servare leges civiles ?*

Maxime: dummodo istae leges non repugnent statui Ecclesiastico. Cives enim sunt , et partes civilis communitatis.

18. *Quinam tenentur observare leges Pontificis ?*

Omnes baptizati , quamvis haeretici , apostatae , schismatici ; quia per Baptismum facti sunt subditi Ecclesiae.

19. *Quinam tenentur observare leges Episcopi ?*

Dioecesani morantes in territorio.

20. *An Regulares teneantur ad leges Episcopi loci, in quo morantur ?*

Non tenentur , exceptis aliquibus casibus : scilicet , 1. quando Episcopus fert leges uti delegatus Sedis Apostolicae ; 2. quando fert censuras , et interdicta in populum ; 3. quando indicit preces , jejunia , publicas supplicationes , et alia ob utilitatem populi : dummodo haec non repugnent statui eorum ; 4. quando fert statuta , quae respiciunt administrationem Sacramentorum , Sacrificium Missae , et sacrum cultum.

21. *Quinam dicitur advena , quinam vagus , quinam peregrinus ?*

Advena est ille , qui exiit a proprio territorio , et alibi figit domicilium vel animo semper manendi , vel per majorem partem anni (1). Vagus est ille , qui

---

(1) Quando figitur domicilium alicubi animo ibi semper manendi , dicitur verum domicilium ; si vero ibi figitur domicilium animo manendi per annum , aut per majorem partem anni , dicitur quasi-domicilium : cujusmodi est domicilium quod figunt scholares , mercatores , famuli. Ex lege *Cives*, c. *de Incolis*, et leg. *Domicilium* , §. *ad Municipale.*

nullibi habet fixum domicilium, sed hinc inde vagatur. Peregrinus denique, qui alibi habet fixum domicilium, et in aliquo loco reperitur per transitum ad breve tempus.

22. *Teneturne advena ad leges municipales?*

Maxime; quia per determinatum domicilium fit subditus illius loci.

23. *Vagus teneturne servare leges loci, in quo moratur?*

Maxime: aliter sine lege esset; quod esset contra rectam sui gubernationem.

24. *Num teneatur peregrinus ad istas leges?*

Litigium inter Doctores. At omnes conveniunt, teneri in sequentibus casibus: 1. si leges sint communes in utroque territorio; 2. si leges sint de jure communi, sed in proprio territorio ex privilegio, vel ex consuetudine non vigent; 3. quando leges respiciunt contractus, vel delictum publicum ibi commissum; vel quando inobservantia legis affert scandalum, vel damnum (1).

25. *Peregrinus debetne observare leges sui territorii, quando ab illo abest?*

Minime: dummodo non sint praecepta personalia (2).

26. *Qui exiit de proprio territorio cum intentione se eximendi a lege, peccatne, et tenetur ad legem?*

Quaestio inter DD. Sed rationabilius ex D. Ligorio cum aliis non peccat, et non tenetur; quia utitur jure suo (3).

---

(1) Vide apud D. Lig. lib. 1. n. 156. Dub. 2. Ex codice vig. teneutur ad leges civiles ejusdem codicis omnes morantes in Regno Neap., sive sint subditi sive exteri; advenae, aut peregrini art. 5.

(2) Et etiam, quando violatio legis habet effectum in proprio territorio.

(3) *Nullus videtur dolo facere, qui utitur jure suo:* Reg. 4. juris. At si hoc faciat, ut se eximat a lege Trid. de contrahendo matrimonio coram Parocho, et testibus, peccat, et nulliter contrahit: ut ex decret. S. Congreg. ab Urbano VIII. approbato.

27 *An teneatur, antequam exeat, adimplere legem vigentem in proprio territorio ille, qui exit ab eo, et perventurus sit ad locum, ubi non viget?*

Maxime: quia contraxit obligationem, quam potest adimplere vel ibi, antequam exeat; vel alibi, si absque suo gravi incommodo possit. At si lex non consistat in unico actu, sed in continuatione, tunc exeundo de loco, postea non tenetur (1).

28. *Peregrinus qui per aliquem locum transit, teneturne servare leges illius loci?*

Non una est Theologorum sententia (2); sed rationabilius hic distinguendum: vel adest lex negativa; uti jejunium, armorum prohibitio etc., tenetur; quia ut plurimum semper affert scandalum, et ordinis perturbationem haec inobservantia. Vel adest lex affirmativa, ut auditio Missae; tunc, si per notabilem moram sistat in eo loco, tenetur.

De materia legis.

29. *Quaenam est materia legis humanae?*

Sunt actus humani, qui praecipi, vel prohiberi possunt ob bonum commune (3).

30. *Potestne lex humana prohibere omnia vitia?*

Collective non potest, quia ejusmodi legis observantia esset moraliter impossibilis toti communitati; divisim potest, prout expedit bono communi.

31. *Potestne lex humana praecipere omnes actus virtutum?*

Neque collective, neque divisim potest. Nam esset moraliter impossibilis illius observantia; cum aliqui actus sint valde ardui, quorum non omnes sunt

(1) Uti esset in observantia legis negativae: idest jejunii, abstinentiae ab operibus servilibus.

(2) Laymann dicit, tunc teneri ad praecepta negativa, quando per notabilem moram sistit. Tournely vero docet, non teneri ad praecepta affirmativa, etiamsi pernoctetur.

(3) Lex humana potest praecipere, vel prohibere id, quod non est prohibitum, vel praeceptum lege naturali, vel Divina; non vero contra: secus esset abusus.

capaces. At potest praecipere actus virtutis valde arduae, si sint necessarii ad bonum commune, vel adnexi alicui statui voluntarie suscepto: uti coelibatus in professione Religiosa, etc.

32. *An lex humana possit praecipere, vel prohibere actus internos.*

Directe, tantum lex Ecclesiastica potest praecipere, vel prohibere actus internos ex vi directiva (1). Indirecte vero, tam lex Ecclesiastica, quam civilis potest ex vi directiva, et coactiva (2).

33. *Potestne lex humana praecipere, vel prohibere actus externos omnino occultos?*

Maxime; quia per se sunt sensibiles: uti patet ex poenis latis contra haereticos externos occultos.

34. *Potestne lex humana praecipere, vel prohibere actus indifferentes?*

Si aliquo fine cohonestantur, potest; secus, non potest.

De obligatione legis.

35. *Quid, et quotuplex est obligatio legis?*

Est quaedam necessitas ex lege orta, qua sub-

(1) Hoc colligi potest ex auctoritate a Christo Domino data Ecclesiae ob bonum spirituale Fidelium; et etiam ex prop. damnatis 65 et 66. contra Michaelem Molinos ab Innoc. XI.: scilicet, *Propositis obediendum est in exteriori, et latitudo voti obedientiae religiosae tantummodo ad externum pertingit.* Altera est: *Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima, quoad internum gubernari debeat ab Episcopo . . . . quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima habet jus eligendi quodcumque sibi bene visum.*

(2) Directe dicitur, quando in se, seu ratione sui actus interni praecipiuntur, vel prohibentur absque respectu ad actum externum: uti actus charitatis, odii, etc.; indirecte, quando isti actus praecipiuntur, vel prohibentur ratione actus externi, cui debent adjungi, ut revera habeatur actus a lege praeceptus: uti attentio in Missa, dolor in confessione, etc. Ex vi directiva dicitur, quando obligatur tantum in conscientia, seu ad culpam; ex vi coactiva, quando imponitur obligatio et in conscientia, et in foro externo, seu ad poenam.

diti adstringuntur ad aliquid faciendum, vel omittendum. Quae quidem triplex est: civilis, quae obligat in foro externo sub poena; naturalis, quae obligat in conscientia sub culpa; mixta vero, quae in utroque foro obligat sub poena, et sub culpa.

36. *Lex humana obligatne in conscientia?*

Maxime: et est de fide contra Novatores, ut patet ex Epist. ad Rom. cap. 13.: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

37. *Quomodo obligat lex humana?*

Vel materia est undequaque levis, obligat sub levi; vel est gravis, et obligat prout intendit legislator.

38. *Unde cognosci possit, quando materia gravis praecipit sub gravi?*

Ex ipsa materia, si sit de re per se gravi sine ulla limitatione praecepta; ex fine gravi praefixo; ex verbis, quibus lata est lex; ex poena gravi imposita; ex consensu Doctorum, et ex praxi.

39. *Potestne legislator in materia gravi obligare sub levi, vel contra?*

Potest in materia gravi obligare sub levi; contra vero in materia levi per se, et absolute non potest; quia obligatio legis commensuranda est cum materia. Si vero ex aliqua circumstantia materia ex levi fit gravis, potest.

40. *An plures leves transgressiones legis possint constituere gravem materiam?*

Maxime: quando materiae coalescunt sive in se, sive in ordine ad eundem effectum: uti in furto, in fractione jejunii, in auditione Missae: et patet ex prop. damnata ab Alexandro VII. (1).

41. *Ex quibus capitibus materiae leves non coalescant?*

Ex sequentibus: ratione diversi praecepti, diversi temporis, diversae personae.

---

(1) En propositio 29. *In die jejunii, qui saepius modicum comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

42. *Peccatne, qui transgreditur legem poenalem?*

Si lex est mixte poenalis, peccat; quia hujusmodi lex obligat etiam in conscientia; si est simplex poenalis (1), litigant DD. At qui transgreditur hujusmodi legem, videtur peccare contra charitatem sibi debitam exponendo se periculo; quando poena est valde gravis.

43. *Qui transgreditur legem poenalem, debetne poenam subire ante judicis sententiam?*

Si poena est ferendae sententiae, non debet, nisi post sententiam. Si est latae sententiae, distinguitur: si non requiritur actio delinquentis ad subeundam poenam, utpote passiva, statim incurritur; si vero requiratur, et poena non est valde difficilis, statim solvenda est poena. Secus, non tenetur, nisi post sententiam.

44. *Judex debetne infligere poenam reo, prout lex exigit?*

Si judex est ipse legislator, potest diminuere poenam; quia ipse est dominus legis (2). Si est delegatus, et poena non est arbitraria, vel delictum non est dubium; non potest.

De modo, quo observandae sunt leges.

45. *Quomodo adimplenda sit lex?*

Si est affirmativa, est adimplenda per voluntariam operis praecepti executionem; si est negativa, per abstinentiam ab opere vetito (3).

46. *Satisfacitne praecepto, qui illud adimplet per vim, vel per metum?*

Vel praeceptum est negativum, satisfacit; quia revera non ponit, quod prohibetur; vel praeceptum

---

(1) Litigant Doctores, an detur lex simplex poenalis.

(2) Alii contrarium sentiunt: quia ex justitia distributiva, et maxime quando adest damnum tertii, non potest, nisi ex justa causa.

(3) Lex affirmativa est, quae praecipit aliquid faciendum: et obligat semper, et non quoad semper; seu non in omni momento temporis. Lex negativa est, quae prohibet aliquid faciendum: et obligat semper, et quoad semper, seu in omni momento temporis.

est affirmativum ; si ponat opus praecepti per metum, satisfacit ; si per vim , non satisfacit ; quia per vim, non habetur voluntarium , seu actus humanus (1).

47. *Satisfacitne praecepto , qui illud adimplet per aliquam circumstantiam malam ?*

Si ista circumstantia mala destruat substantiam actionis praecepti , non satisfacit ; secus , satisfacit.

48. *Quaenam intentio requiratur in adimpletione praecepti ?*

Intentio duplex est : vel ponendi opus praecepti, vel satisfaciendi praecepto per tale opus. Pro praecepto affirmativo alterutra sufficit , pro negativo neutra requiritur.

49. *Qui immemor praecepti ponit opus praeceptum, satisfacitne praecepto ?*

Maxime : quia revera ponit opus praeceptum.

50. *Qui ponit opus praecepti determinata intentione non satisfaciendi praecepto , satisfacitne ?*

Quaestio inter DD. At rationabilius est dicendum, satisfacere ; quia ponendo opus praeceptum intentio contraria fit inefficax.

51. *Num subditus debeat finem praecepti intendere , ut praecepto satisfaciat ?*

Duplex est finis : intrinsecus, et extrinsecus ; intrinsecus est ille, ad quem actio praecepta ex sua natura dirigitur ; extrinsecus est ille, ad quem actio praecepta dirigitur a legislatore. Ad satisfaciendum praecepto sufficit intendere ad finem intrinsecum ; si vero etiam finis extrinsecus praecipiatur , tunc etiam ille est intendendus.

52. *Quinam modus sit observandus in adimpletione praecepti ?*

Item duplex est modus : intrinsecus , et extrinsecus. Primus est ille , sine quo substantia praecepti adimpleri non potest. Secundus est ille, sine quo substantia praecepti adimpletur. Ad satisfaciendum prae-

(1) Per vim, vel per metum se abstinens ab opere prohibito peccat affective , si habeat affectum ad violationem praecepti.

cepto sufficit modum intrinsecum observari; dummodo modus extrinsecus non praecipiatur.

53. *Per eumdem actum possuntne adimpleri plura praecepta?*

Si plura praecepta praecipiant ex eodem motivo formali, possunt adimpleri; dummodo aliud non constet ex voluntate praecipientis.

54. *Possuntne plura praecepta eodem tempore satisfieri per diversos actus?*

Maxime: dummodo attentio unius non excludat attentionem alterius, et unus actus alterum non impediat.

55. *Qui non potest totum praeceptum adimplere, teneturne ad partem, quam potest?*

Maxime: si res praecepta est divisibilis, et in ea parte possibili habetur finis, et ratio legis: uti patet ex regula juris 37 (1). Hinc quando duo diversa praecepta eodem tempore occurrunt, quae simul adimpleri nequeunt, majus et praestantius servari debet.

56. *Lex obligatne ad non ponendum impedimentum?*

Maxime: quia sicut adstringit ad rem praeceptam, ita ad media ponenda. Ideoque requiritur, ut impedimentum proximum removeatur, et etiam remotum in fraudem.

De causis, quibus cessat obligatio legis.

57. *Quaenam sint causae, quibus obligatio legis cessat?*

Sequentes: dispensatio, privilegium, interpretatio, epicheja, lex contraria, consuetudo, abrogatio, cessatio causae finalis, vis, ignorantia, et metus.

---

(1) *Utile per inutile non vitiatur*; et proinde possibile per impossibile, si possibile ab impossibili disjungi possit, non vitiatur. Ideoque, qui non potest totum officium recitare, tenetur ad illam partem, quam potest; et contrarium est damn. ab Inn. XI. Prop. 54. *Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem aliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.* Item in jejunio.

De Dispensatione.

58. *Quid est dispensatio?*

Est relaxatio legis ab habente legitimam potestatem alieni facta cum cognitione causae. Potest autem esse totalis, vel partialis (1).

59. *Quotuplex est facultas dispensandi?*

Duplex est: ordinaria, et delegata. Prima est illa, quam quis habet ex vi sui muneris; secunda, quam quis habet ex concessione habentis ordinariam.

60. *Quinam habent facultatem dispensandi in legibus?*

Omnes, qui habent potestatem condendi leges.

61. *Summus Pontifex habetne facultatem dispensandi in lege naturae, vel Divina?*

Minime: quia est inferior, et subditus his legibus (2.)

62. *Inferior potestne dispensare in lege Superioris?*

Minime: quia Inferior non potest infringere legem sui Superioris. Hinc Vicarius generalis non potest dispensare in lege sui Episcopi. Vicarius vero Capitularis potest, quia succedit in omnem defuncti Episcopi jurisdictionem (3).

63. *Potestne Archiepiscopus dispensare in lege sui Suffraganei?*

Minime: quia non habet tale jus in suffraganeos. At potest in causa appellationis, et in actu visitationis.

---

(1) Potest esse etiam expressa, vel tacita, directa, vel indirecta.

(2) Pontifex in hisce legibus non dispensat, sed tantum declarat, uti interpres legis Dei.

(3) Ex cap. unic. de Majorit., et Obedient. Attamen Inferior potest dispensare hisce in casibus: 1. ex delegatione, 2. ex consuetudine recepta, 3. si adsit necessitas, et difficilis accessus, 4. si materia legis sit levis, et nimis frequens dispensationis occasio occurrat, 5. in dubio facti: uti si dubitetur de delicto, ex quo contrahitur irregularitas; quia reservatio dispensationis stricte est interpretanda, utpote odiosa.

64. *Praelati habentne potestatem dispensandi sibi?*

Indirecte habent, nempe alteri committendo facultatem, ut dispenset eis. An directe possint, litigium inter DD.

65. *Quinam possunt delegare facultatem dispensandi?*

Illi, qui habent facultatem ordinariam. Hinc delegatus non potest subdelegare juxta regulam juris. Excipitur tamen Delegatus Apostolicus, vel Concilii generalis; qui in omnibus potest, quae non fuerunt ei expresse prohibita.

66. *Ad licitam, et validam dispensationem requiriturne causa?*

Ad licitam dispensationem semper requiritur causa. Ad validam, si fit a Superiore, non requiritur; quia est dominus legis; si ab Inferiori, requiritur. Hinc an peccet Superior dispensando sine causa, litigant DD. Sed rationabilius peccat contra justitiam distributivam: quod eruitur ex Trid. sess. 25. cap. 18. De Reform.

67. *Peccatne subditus, qui utitur dispensatione sine causa obtenta?*

Peccat contra justitiam legalem. At aliqui dicunt non peccare, aut saltem peccare venialiter, quando non adest scandalum.

68. *Quaenam sint causae, ob quas dispensari potest?*

Tres: pietas, utilitas, et necessitas.

69. *Num sit valida dispensatio subreptitia, vel obreptitia?*

Dicitur dispensatio subreptitia, quando in petitione reticetur aliqua veritas, quae ex juris dispositione, vel ex stylo Curiae est exprimenda; obreptitia est, quando in petitione exprimitur aliqua falsitas. Haec subreptio, vel obreptio potest esse circa causam finalem seu motivam, vel circa causam impulsivam. Si est circa causam finalem, invalida est dispensatio; si est circa causam impulsivam valida erit (1).

(1) Si causa isthaec impulsiva sit unica causa, qua innititur dispensatio, erit equidem irrita dispensatio. Lege D. Ligorium lib. 1. n. 185. Sanchez lib. 8. Dist. 21. n. 73.

70. *Cessante causa finali, cessatne dispensatio?*

Si cessat tempore concessionis, cessat dispensatio; quia causa non subsistit. Si vero a Superiore alteri committatur dispensatio concedenda; tunc si cesset tempore, quo commissarius dispensat, cessat dispensatio; si post concessam dispensationem ante ejus usum cessat causa; quaestio inter DD. Sed rationabilius saniores Theologi sic distinguunt: si dispensatio sit de aliquo impedimento, uti de impedimento matrimonii, vel irregularitate, inhabilitate etc. seu pro unico illo actu concessa sit, non cessat; quia inhabilitas jam legitime sublata est. Si vero sit dispensatio de aliqua obligatione, quae habet tractum successivum, cessat; quia reviviscit obligatio legis cessante causa.

71. *Per mortem dispensantis cessatne dispensatio?*

Si Superior absolute dispensaverit, quae dispensatio dicitur *gratia facta*, non cessat dispensatio; quia aequiparatur donationi (1): dummodo non sit conditionata, uti *ad nostrum beneplacitum* etc. (2). Si vero dispensaverit committendo executionem, quae dispensatio dicitur *gratia facienda*, tunc cessat re integra; quia morte domini cessat mandatum (3).

72. *Cessatne dispensatio per revocationem?*

Si nondum habuerit effectum, cessat re integra; secus, non cessat. At per revocationem sine causa facta ab Inferiore, non cessat; etiamsi sit ab ipso Inferiori obtenta dispensatio.

Dicitur causa finalis, quando sine ea Superior non dispensaret. Impulsiva, quando sine ea Superior etiam dispensaret, sed non tam de facili, et absolute. Ex cap. 20. *super litteris* de Rescriptis. Vide in Tertia parte Append. VI. n. 18. Reg. VII.

(1) Ex cap. *Si tibi absenti* de Praebendis in 6., et ex Cap. *Cui nulla* eodem tit.

(2) Si vero, ut Neapoli habetur, adsit consuetudo ob quam non cessat dispensatio sub hac conditione: *ad nostrum beneplacitum*, et tunc ne cessat quidem.

(3) Ex cap. *Relatum* de Officio delegati; et ex cap. *Sicuti* de Praebendis in 6.

De Privilegio.

73. *Quid est privilegium?*

Est immunitas a lege, seu facultas permanens a Superiore ex justa causa alicui concessa agendi, vel non praestandi aliquid, vel contra, vel praeter legem (1).

74. *Quaenam differentia inter privilegium, et dispensationem?*

Privilegium datur contra legem, et praeter legem; dispensatio datur tantum contra legem. Privilegium est semper permanens; non autem dispensatio, quae est transiens.

74. *Quotuplex est privilegium?*

Personale, quod personae directe conceditur; et reale, quod alicui conceditur relate ad aliquam rem, ex. gr. ad locum, dignitatem. Temporale, et perpetuum, gratiosum, et remuneratorium: prout conceditur ad tempus, vel in perpetuum; ex mera gratia, vel ex intuitu alicujus officii praestiti.

76. *Quinam possint concedere privilgium?*

Illi, qui possunt leges condere; quia qui potest condere legem, ab ea potest eximere. Hinc subditis tantum potest privilegium concedi.

77. *Potestne privilegiatus uti privilegio extra territorium concedentis?*

Si est personale, et non est contra statutum speciale territorii, in quo moratur, potest; si est locale, non potest.

78. *Quomodo privilegium est interpretandum?*

Vel est contra jus, aut in alterius praejudicium, stricte est interpretandum. Vel est praeter jus, et

---

(1) Facultas agendi contra legem: ut privilegium Bullae Cruciatae pro comedendo ova, lacticinia etc. Non praestandi: uti de non solvendis vectigalibus, tributis eto. Praeter legem, idest facultas concessa alicui; cui haec facultas non competit secundum ordinariam juris dispositionem: uti de absolvendo a censuris reservatis, de dispensando in votis. Hoc postremum privilegium utpote favorabile, et non contra legem, benigne est interpretandum.

*

non in alterius praejudicium, benigne est interpretandum. At in dubio semper est interpretandum sine onere privilegiati (1).

79. *In privilegii interpretatione potestne fieri extensio ad alias personas, vel actus?*

Minime, regulariter loquendo; etiamsi simillima ratio occurrat. At potest fieri, si aequiparatio juris talem extensionem exigat; vel si extensio fiat ad ea, quae privilegio per se, et ordinarie accessoria sunt; vel si extensio sit necessaria ad hoc, ut privilegium non reddatur frustraneum.

80. *Quibus modis cessat privilegium?*

Pluribus modis: cessante causa finali, vel conditione; mutatione materiae, idest si fiat privilegium iniquum, vel injustum; per renunciationem privilegiati; per lapsum temporis, quando est temporale; per non usum legitime praescriptum data occasione utendi; per abusum privilegii (2); et per revocationem Superioris, si non est remuneratorium.

De Epicheja.

81. *Quid est Epicheja?*

Est benigna legis interpretatio secundum aequum, et bonum, qua aliquis casus particularis ob aliques circumstantias existimatur non comprehensus esse in lege generali.

82. *In quibus legibus locum habet epicheja?*

In lege humana, quae potest esse obscura, et in aliquo casu injusta. Hinc habet locum epicheja, quando aliquis casus ex aliqua circumstantia fit impossibilis, illicitus, nimis difficilis, vel bono communi contrarius.

---

(1) Ex regula 61. juris in 6. *Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retoqruendum.*

(2) Can. *Privilegium* caus. 11. quaest. 3.

De Interpretatione.

83. *Quid et quotuplex est interpretatio?*

Est explicatio verbi, vel sensus obscuri legis per verba clariora. Quae triplex est: authentica, usualis, et doctrinalis. Prima est illa, quae fit ab ipso legislatore, vel ejus Superiore, aut successore, vel ejus ministro. Secunda est illa, quae fit communi subditorum usu. Tertia, quae fit a viris doctis, prudentibus, ac piis. Prima tantum habet vim legis. At vero tam prima, quam aliae fieri possunt in omnibus legibus.

84. *Quaenam sunt regulae, quibus fieri potest interpretatio?*

Primo attendendum est magis ad mentem legislatoris, quam ad verba: ea vero est explicanda ex circumstantiis, contextu, et fine legis. 2.° Verba generalia generaliter sunt explicanda, paticularia particulariter. 3.° In odiosis stricte facienda est interpretatio, benigne in favorabilibus. 4.° Facienda est interpretatio juxta usum, et consuetudinem. 5.° Regulariter non est facienda extensio a casu ad casum. Dixi regulariter; quia potest fieri extensio in correlativis, in aequiparatis, in connexis, et subordinatis, et in aliis necessariis, ne quid injustum, vel absurdum sequatur (1).

De Abrogatione legis, et Consuetudine.

85. *Quid est legis abrogatio?*

Est abolitio legis secundum omnes suas partes. Quod si fiat quoad partem, dicitur derogatio.

86. *Quinam possit abrogare, vel derogare legem?*

Qui potest legem condere.

87. *Quotupliciter potest abrogari, vel derogari lex?*

Multiplici modo: 1. per simplicem revocationem; 2. per legem posteriorem contrariam; 3. per consuetudinem legitime praescriptam.

---

(1) In poenalibus omnino non potest fieri extensio secundum communem DD. sententiam; nam poenae sunt restringendae.

88. *Quid est consuetudo ?*

Est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.

89. *Quotuplex est consuetudo ?*

Triplex: contra legem, praeter legem, et secundum legem. Prima est illa, quae legi opponitur; quae legitime introducta eximit a lege. Secunda est illa, quae novum jus introducit: et haec habet vim legis. Tertia denique est illa, quae legem existentem reducit ad usum; quae quidem legem magis confirmat.

90. *Quaenam conditiones requirantur ad consuetudinem introducendam, ut vim legis acquirat, vel legem destruat?*

Plures. 1. ut possit esse materia legis id, quod introducitur; 2. ut introducatur per actus voluntarios, frequentes, et notorios per tempus legitimum; 3. ut introducatur a populo, videlicet a majori, et saniori parte populi animo se obligandi; 4. ut denique adsit consensus legislatoris, saltem tacitus.

91. *Quodnam tempus requiratur ad introducendam consuetudinem ?*

Vel est contra legem, et legislatore sciente, et dissimulante, tunc sufficiunt pauci actus ex Bened. XIV. de Sind. Dioec. (2). Vel legislatore ignorante, et est contra, aut praeter legem civilem, sufficit decennium. An contra legem Ecclesiasticam idem tempus requiratur, est litigium. Interrumpitur autem consuetudo, quando vel Superior resistit, vel populus occurrente occasione utendi non utitur; aut contra illam agit.

92. *Num peccent, qui introducunt consuetudinem contra legem ?*

Maxime: per totum illud tempus, usquedum consuetudo non praescribatur. Hoc intelligitur de lege humana; quia contra legem naturalem, et positivam

(2) Lib. 13. c. 5. n. 2. quia tunc praesumitur, Legislatorem eam legem revocare voluisse.

divinam, non potest dari consuetudo; et si detur, est abusus, et corruptela ex D. Thoma.

93. *Cessatne lex alio modo?*

Maxime: per lapsum temporis, vel per negotium completum, vel per cessationem causae finalis respectu totius communitatis (1).

---

(1) Cessat lex, quando cessat praesumptio legis, si fundatur in praesumptione facti; si vero in praesumptione juris seu periculi, non cessat lex; quia praesumptio seu periculum non cessat in tota communitate. Cessat quoque lex, quando cessat finis legis: et tunc quidem cessat, quando finis legis cessat *contrarie*, scilicet quando in aliquo casu materia legis redderetur nociva, vel valde difficilis. Si vero cessat finis legis *negative*, vel *privative*, scilicet si lex in aliquo casu redderetur inutilis, tunc non cessat lex.

TRACTATUS

DE PECCATIS.

De peccatis in genere.

De natura, divisione, et gravitate peccatorum.

Q. 1. *Quid est peccatum?*

R. Est dictum, factum, concupitum contra Dei legem aeternam ex D. Augustino et D. Thoma (1).

2. *Quotuplex est peccatum?*

Multiplex est. Originale, et personale. Originale est illud, quod ab Adam commissum per ordinariam carnalem propagationem in posteros transfunditur. Personale est, quod propria voluntate a persona committitur. Hoc est, vel actuale, vel habituale: actuale est actus contra legem nunc commissus; habituale est macula relicta ex peccato actuali non retractato. Actuale vero dividitur, ratione radicis, in peccatum ex passione, ex ignorantia, et ex malitia: ex passione, quod provenit ex gravi tentatione, aut motu concupiscentiae; ex ignorantia, quod oritur ex ignorantia vincibili; ex malitia, quod fit ex prava vo-

(1) Haec definitio convenit cuique peccato: omissionis, quia ex D. Thoma affirmatio, et negatio ad idem genus reducuntur, 1. 2. q. 71. a. 6.; peccato originali, quia licet non sit commissum a nobis per modum exercitii, sive actualiter, attamen fuit commissum virtualiter, seu in causa morali: *in quo omnes peccaverunt* docet Apostolus; convenit etiam habituali peccato, quia perseverat ex dicto, facto, concupito aliquando commisso. Convenit quidem peccato commisso contra legem positivam sive Divinam, sive humanam; quia istae leges ab aeterna lege emanant.

luntate operantis. Idem ratione objecti, aliud est spirituale, quod in delectatione spirituali consistit; et aliud carnale, quod carnali delectatione perficitur. Ratione violationis praecepti, dicitur peccatum commissionis, quando opponitur praecepto negativo; peccatum omissionis, quando opponitur praecepto affirmativo. Insuper dividitur in peccatum cordis, oris, et operis: prout committitur voluntate, vel ore, vel opere. Denique peccatum vel est mortale, vel veniale. Mortale est gravis Divinae legis transgressio, directe opposita substantiae legis: quae privat animam gratia sanctificante, et poenam aeternam meretur; veniale est levis transgressio Divinae legis, violans perfectionem legis: quae tantum minuit fervorem gratiae, et meretur poenam temporalem (1).

3. *In quo conveniunt, et differunt peccatum mortale et veniale?*

In hoc conveniunt: quia ambo merentur poenam, ambo sunt actus moraliter mali; ideoque non possunt eligi ad faciendum aliquid bonum. Differunt vero in hoc: quod mortale est contra substantiam legis, veniale est praeter legem, seu contra perfectionem legis; mortale privat animam gratia sanctificante, et meretur poenam aeternam; veniale minuit fervorem, et nitorem gratiae, et meretur poenam temporalem.

---

(1) Alia quoque adduci solet distinctio peccati, in Theologicum nempe, et Philosophicum. Theologicum est quod jam supra definivimus. Philosophicum vero dicunt esse actum humanum disconvenientem naturae rationali, et rectae rationi, non autem legi Dei repugnantem: quod scilicet committitur ab homine advertente repugnantiam actionis ad rectam rationem, non vero ad legem aeternam, et ad offensam Dei; quodque licet sit actio gravis et turpis, non est tamen offensa Dei. At hujusmodi peccati definitio prorsus commentitia est; quia id, quod repugnat rectae rationi, utique repugnat legi aeternae Dei; idcirco jure, meritoque fuit damnatus hic error ab Alexandro VIII. hisce terminis: *Peccatum philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.*

4. *Danturne peccata mortalia, et venialia?*

Maxime, et est de fide ex Tridentino (1); et patet ex scripturis. Nam Apostolus ad Romanos cap. 1. numerans aliqua peccata, idest fornicationem, mollitiem, sodomiam, subjungit: *qui talia agunt digni sunt morte*, scilicet aeterna. Ergo sunt peccata gravia. Peccata venialia dari patet ex illo Proverbiorum cap. 24. » *Septies cadet justus*. Si enim cadit, et adhuc est justus; peccatum leve committit.

5. *Quid requiratur ad peccatum actuale in genere?*

Voluntarius consensus, moralis malitia actionis, et advertentia ad moralem malitiam actionis.

6. *Requiriturne consensus directus, et advertentia actualis?*

Minime, sed sufficit consensus indirectus, et advertentia virtualis, seu implicita (2).

7. *Quid requiratur ad constituendum peccatum mortale?*

Plenus consensus, perfecta advertentia, et gravitas materiae, seu gravis malitia (3).

---

(1) Sess. 6. Cap. II. et Sess. 14. Cap. 5.

(2) Consensus directus est, quando voluntas directe, et expresse tendit in objectum; indirectus, quando tendit in causam. Advertentia virtualis, seu implicita, est, quando actu non advertitur ad malitiam actionis ob culpabilem negligentiam, cum possit, et debeat adverti: quod quidem in eo accidit, qui habens objectum praesens, aut circumstantiam actu demostrantem, seu praeferentem malitiam actionis; et quia inconsiderate, atque imprudenter agit, non advertit ad illam malitiam, ad quam adverteret, si prudenter, et diligenter egisset. Ita si quis percutiat praegnantem, unde sequitur abortus: actu advertit ad percussionem, virtualiter dicitur advertere abortum.

(3) Consensus plenus, ac perfectus est ille, quo voluntas cum plena deliberatione objectum ab intellectu propositum firmiter amplectitur: ideoque hic datur in homine vigilante, plene sui compote, et expeditum habente usum rationis. Perfecta advertentia est, quando intellectus clare cognoscit malitiam objecti.

In dubio de consensu, an scilicet plene quis consenserit, colligi potest veritas ab istis indiciis. Non censetur plene con-

8. *Quotuplici modo peccatum potest esse mortale, vel veniale?*

Vel per se, quando scilicet est tale ex sua natura; vel per accidens, quando scilicet ex aliqua circumstantia veniale fit mortale, vel contra.

9. *Quomodo peccatum mortale fieri possit veniale per accidens?*

Multiplici modo: vel ratione imperfectae advertentiae, vel imperfecti consensus, vel parvitatis materiae.

10. *Daturne in omnibus peccatis parvitas materiae?*

Minime: quia adsunt aliqua peccata, quae in omni parva quantitale malitiam gravem continent; et sunt sequentia: peccata directe opposita virtutibus Theologicis; mendacium in juramento assertorio; simonia de jure Divino; blasphemia; fractio sigilli sacramentalis; fractio jejunii requisiti ad Communionem; et actus venerei deliberate commissi extra matrimonium.

11. *Quotuplici modo peccatum veniale per se possit transire in mortale per accidens?*

Multiplici modo, uti eruitur ex hisce versiculis: *Scandala, finis, amor, discrimen, temptus, et error, Vel levium nexus: his leve grande siet.* Scilicet, ratione scandali; ratione finis mortalis adjuncti; ratione ultimi finis; ratione periculi proximi; ratione contemptus formalis (1); ratione conscientiae erroneae;

---

sensisse: si quis sit timoratae conscientiae, et sic dispositus potius mori, quam mortaliter peccare; si malum grave cogitatum potuisset facile exequi, et non est executus; si dubitet, an vigilans, vel dormiens; an sui compos, vel impos quidquam fecerit; dummodo non sit assuetus ad hujusmodi peccata. Censetur autem plene consensisse: si quis sit pravae vitae, et malis consuetudinibus illaqueatus; si loquatur, tangat, saepe saepius oculos in idem pravum objectum consulto dirigat; diu cogitationem illicitam mente revolvat.

(1) Contemptus formalis, qui efficit peccatum grave, est, quando violatur lex unice, seu expresse in spretum legis, vel legislatoris: idest prout est lex, legislator. Secus, contemptus est materialis.

et ratione coalescentiae materiarum (1).

12. *Plura peccata venialia possuntne efformare peccatum mortale?*

Minime: quia non excludunt Dei gratiam; attamen disponunt ad mortale. Possunt efformare mortale, si materiae leves coalescant.

13. *Quomodo remittantur peccata?*

Originale, et actualia ante Baptismum commissa remittuntur per Baptismum; peccata post Baptismum patrata remittuntur per Sacramentum poenitentiae. Venialia possunt remitti etiam aliis modis: idest per contritionem, vel attritionem; per alia Sacramenta rite suscepta absque affectu ad venialia; per actus virtutum apposite elicitos pro remissione venialium; et per Sacramentalia, quae exprimuntur hoc versiculo:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens (2).

De distinctione peccatorum.

14. *Num peccata distinguantur inter se specie, et numero?*

Maxime. Nam peccata diversam malitiam, seu difformitatem habent cum recta ratione; atque per actus inter se distinctos, et per violationem diversorum objectorum committuntur: ut infra dicetur.

15. *Unde ergo desumitur distinctio specifica peccatorum?*

Ex oppositione ad diversas virtutes, vel ad eamdem virtutem per modum notabiliter diversum (3).

---

(1) In quibus coalescunt materiae vide de Legibus n. 40,

(2) *Orans*, oratio, praesertim Dominicalis; *tinctus*, aspersio aquae, vel cineris benedictae; *edens*, devota comestio panis, aliusve cibi benedicti; *confessus*, confiteor; *dans*, elargitio eleemosynae, aliaque opera misericordiae; *benedicens* benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati. Haec disponunt ad remissionem venialium, et perducunt, si cum contritione, vel attritione conjungantur.

(3) Distinctio specifica desumpta ex oppositione ad diversa praecepta, et ex diversis circumstantiis, reducitur ad regulam superius allatam. Nam oppositio ad diversa praece-

16. *Unde desumitur distinctio numerica peccatorum?*

In actibus internis desumitur ex eorum interruptione; in actibus externis, ex ipsis actibus in suo esse completis. Praeterea tam in actibus internis, quam externis desumitur etiam ex violatione diversorum objectorum; dummodo haec objecta sint integra, et totalia, seu inter se distincta (1).

17. *Quotuplici modo actus interni possint interrumpi?*

Multiplici modo: formaliter, virtualiter, et moraliter; scilicet per retractationem voluntatis, per exercitium virtutis interpositum, et per moram temporis; dummodo actus per moram interruptus ordinarie non perseveret in aliquo effectu (2).

18. *Interrumpunturne moraliter actus interni per cessationem involuntariam, uti per somnum, per studium etc.?*

Dissidium inter Theologos. Attamen si mens alio notabiliter distrahatur, tunc videtur interrumpi iste actus; dummodo actus anterior non sit ita vehemens, ut censeatur perdurare.

---

pta signat plura peccata, quando ista praecepta jubent ex diversa virtute, seu ex diverso motivo formali; ideoque semper oppositio ad diversas virtutes distinguit specie peccatum. Item ex diversis circumstantiis: quia tunc istae diversae circumstantiae diversa peccata distinguunt, quando continent diversam difformitatem, seu oppositionem ad diversas virtutes. Ergo patet unicam regulam omnes alias amplecti.

(1) Hinc si quis unico actu desiderat mortem decem suorum inimicorum, decem peccata committit; quia decem objecta intendit violare, quae habent jus integrum, et totale ad vitam. Ita etiam si quis surripit centum aureos a decem personis, decem peccata committit. Si vero surripiat centum ab aliqua Communitate, unum peccatum committit; quia omnia subjecta Communitatis faciunt unum, et unum jus efformant.

(2) Quodnam spatium temporis debeat interesse, ut moraliter interrumpatur actus; non conveniunt inter se Doctores. Ex D. Ligorio interrumpitur post duorum, vel trium dierum spatium. Attamen tunc moraliter interrumpitur, quando actus posterior dici non potest effectus actus antecedentis.

19. *Peccata cordis, oris, et operis circa idem objectum, suntne numero distincta?*

Si haec peccata sunt incompleta in se, et unum disponit ad alterum, unum peccatum constituunt cum suo actu principali; quia sunt unus actus moralis. Si vero sunt completa in unoquoque actu, tot sunt peccata numero distincta, quot sunt actus (1).

20. *Delectationes morosae, verba turpia, tactus, oscula, quae subsequuntur copulam, suntne peccata numero distincta?*

Maxime: quia non sunt complementum antecedentis copulae, sed diversi actus in se completi. Alii tamen contrarium sentiunt, si hujusmodi actus statim post copulam habeantur, et non intendantur ad novam copulam (2).

21. *Unde desumi possit major, vel minor gravitas peccatorum?*

Gravitas, seu major difformitas a recta ratione, desumitur ex objecto, fine, et circumstantiis (3).

22. *Quid est circumstantia?*

Est quaedam qualitas actui adnexa, sine qua actus subsistere potest.

23. *Quot sunt circumstantiae?*

Sunt septem, quae continentur in hoc versiculo:
Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando (4).

---

(1) Qui concupiscit copulam habere, et tactus, oscula praemittit, et deinde habet copulam, unum peccatum committit; dummodo inter istos actus non intercesserit notabilis mora temporis.

(2) Ex D. Ligorio lib. V. cap. 1. n. 41.

(3) Peccatum potest esse gravius, vel minus grave ex objecto, seu virtute praestantiori laesa, vel minus praestanti; dummodo comparatio sit cum actu maximo illius virtutis. En ordo virtutum: primo Theologicae, sic dispositae: Charitas, spes, fides; secundo morales: religio, poenitentia; deinde prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, et aliae provenientes ex istis. Potest esse peccatum gravius ex fine magis pravo, vel ex circumstantiis pravioribus, vel ex conjunctione finis pravi, et circumstantiarum.

(4) *Quis*, nempe qualitas agentis; *quid*, scilicet ob-

24. *Quotuplicis generis sunt circumstantiae?*

Triplicis generis sunt : aggravantes , minuentes , et mutantes speciem. Aggravantes dividuntur in infinitum aggravantes , quando scilicet peccatum veniale transferunt in mortale ; in notabiliter aggravantes , quando multum aggravant peccatum intra eamdem speciem ; et in parum aggravantes , quando parum aggravant peccatum. Minuentes similiter dividuntur in infinitum minuentes, quando peccatum mortale transferunt in veniale ; in notabiliter minuentes , quando peccatum multum minuunt intra eamdem speciem ; et parum minuentes, quando parum minuunt. Mutantes speciem sunt duplicis generis : vel destruunt priorem bonitatem , et inducunt malitiam ; vel retinent priorem malitiam , et inducunt novam.

De Consuetudine.

25. *Quid est consuetudo?*

Est quaedam facilitas peccandi orta ex repetitis, et frequentibus actibus , inducens hominem ad frequentandum actus ejusdem speciei.

26. *Quid requiritur ad constituendam consuetudinem?*

Frequentia actuum ; ut actus sint ejusdem speciei ; et ut actus sint moraliter inter se conjuncti. Hinc quatuor , vel quinque actus constituunt consuetudinem , quando tempus intercesserit inter istos actus nec tam breve , nec tam longum (1).

27. *Consuetudinarius differtne a recidivo?*

Maxime ; quia consuetudinarius est ille, qui peccat , et non confitetur, vel prima vice confitetur suam consuetudinem ; recidivus vero est ille , qui peccat, confitetur , et postea eodem , vel quasi eodem modo relabitur in eadem peccata.

---

jectum ; *ubi* , locus ; *quibus auxiliis* , media , instrumenta , quibus agens utitur ; *cur* , causa , finis ; *quomodo* , modus ; *quando* , tempus , quo peccatum commissum est.

(1) Aliquando pauciores actus possunt consuetudinem constituere : scilicet quando peccatum committitur tam vehementi delectatione , ut animus illaqueatus remaneat.

28. *Qui peccat ex consuetudine, peccatne toties, quoties committit peccatum, licet non advertat ad actum?*

Maxime: quia illi actus sunt voluntarii in causa; quatenus iste potest, et debet tollere consuetudinem, et non tollit.

29. *Qui per veram poenitentiam retractavit consuetudinem, si postea labatur ex ea non advertendo ad actum, peccatne?*

Minime; quia actus non est voluntarius neque in se, neque in causa.

30. *Num peccet ille, qui dum advertit consuetudinem, negligit eam tollere?*

Maxime; peccat toties, quoties advertit, et non tollit; quia unusquisque tenetur auferre causam peccandi.

31. *Consuetudinarius estne absolvendus?*

Si est dispositus; quatenus dat signa poenitentiae, potest absolvi. Secus, non potest absolvi; et oppositum est damnatum ab Innocentio XI. (1).

---

(1) *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei; vel Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat; nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.* Prop. n. 60.

An Cousnetudinarius pro prima vice possit absolvi, quaestio. Qui affirmant, innituntur ea ratione: quia scilicet ipsa confessio est iudicium emendationis et doloris, qui per confessionem manifestatur; dummodo alia praesumptio in contrarium desit. Apud D. Lig. Lib. 6 n. 459. At ipse Ligorius in praxi Confessariorum cap. V. n. 70 ait: *dummodo dispositi sint per verum dolorem, et firmum propositum adhibendi media efficacia ad emendationem; verum si habitus esset valde radicatus, potest etiam Confessarius ei differre absolutionem ad experientiam.* Alii vero requirunt signa emendationis: sine quibus verus dolor cognosci nequit.

Hujusmodi signa sunt: ipsa spontanea peccatorum confessio, dummodo spes emendationis adsit; spontanea confessio alicujus peccati, quod semper poenitens reticuit ob pudorem; rarior lapsus in peccatum, occurrentibus iisdem tentationibus, et occasionibus, adhibendo media proposita ad emendationem;

32. *Estne Confessario manifestanda a poenitente consuetudo peccandi ?*

Maxime; si necessarium est consuetudinem manifestari, aut poenitens interrogatur a Confessario: ut patet ex prop. damnata ab Innocentio XI. (1).

33. *Estne absolvendus recidivus ?*

Quod dictum est de absolutione consuetudinarii, a fortiori dicendum de recidivo.

De Occasione.

34. *Quid est occasio ?*

Est omne id, quod allicit ad peccatum vel ex natura sua, vel ex fragilitate operantis.

35. *Occasio differtne a consuetudine ?*

Maxime: quia occasio est ab extrinseco, seu periculum est extra agentem; consuetudo est ab intrinseco, seu in ipso agente est periculum.

36. *Quotuplex est occasio ?*

Alia est remota, alia proxima. Prima est illa, in qua quis positus vel numquam, vel raro peccat, vel prudenter existimat se non peccaturum: secunda est illa, in qua quis positus vel semper, vel frequenter peccat, vel prudenter judicat se peccaturum. Deinde occasio proxima alia est voluntaria, alia ne-

---

reditus poenitentis cum vero dolore ad eundem Confessarium statim post relapsum; denique subitus horror peccati, cujus gravitatem antea ignoraverat. At haec signa, quae requiruntur a Probabilistis sanioribus pro absolvendo Recidivo, non admittuntur a Probabilioristis: qui volunt absolvendum esse consuetudinarium, vel recidivum, quando habentur alia signa extraordinaria: idest, confessio cum periculo vitae; restitutio omnium bonorum, vel majoris partis; renunciatio officii valde utilis, decidendo a proprio statu. Verius semper est inspiciendum quomodo poenitens exerceat media imposita a Confessario, et quomodo fugiat occasionem peccandi; et tunc prout est fervor, et studium, sic dispositionis indicia magis, vel minus praebet.

(1) Prop. 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

cessaria : prima est illa, quae tum physice, tum moraliter removeri potest ; altera vero est, quae aut physice , aut moraliter removeri non potest.

37. *Qui est in occasione formaliter proxima , sed materialiter remota , estne occasionarius ?* (1).

Maxime , est occasionarius proximus ; quia non requiritur ad occasionem proximam frequentia actuum, sed sufficit , ut, semper ac quis ponitur in ea, peccet.

38. *Estne absolvendus occasionarius ?*

Si est in occasione remota ; quam certo non tenemur fugere , quia secus deberemus exire de hoc mundo , potest absolvi. Vel est in proxima voluntaria , quam tenemur removere , non est absolvendus ; et oppositum est damnatum ab Inn. XI. (2). Vel est in occasione necessaria , et remediis adhibitis occasio a proxima fit remota , est absolvendus (3).

39. *Excusatne a non fugienda occasione causa utilis , aut honesta ?*

Minime: quia haec occasio est voluntaria ; et haec causa non efficit impotentiam neque physicam , neque moralem : oppositum est damnatum ab Innoc. XI. (4). Ideoque concubinarius debet concubinam ejicere , etiamsi sit ei valde utilis , vel necessaria.

40. *Estne licitum directe quaerere occasionem proximam pro bono spirituali , vel temporali proprio , aut proximi ?*

Minime ; et oppositum est damnatum ab Innocentio XI. (5).

---

(1) Uti esset , si quis quotannis, quoties accedit ad nundinas , vel rusticationem , semper peccat.

(2) Prop. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere; quinimo directe , et ex proposito quaerit , aut ei se ingerit.*

(3) Si adhibitis mediis occasio non fit remota, media efficaciora sunt imponenda : si vero omnia media non proficiant, et tunc non potest absolvi , nisi tollatur occasio , ex illo Evangelii: *Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

(4) Prop. 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda , quando causa utilis , aut honesta non fugiendi occurrit.*

(5) Prop. 63. *Licitum est directe quaerere occasionem*

De Delectatione morosa.

41. *Quid est delectatio morosa ?* (1)

Est simplex complacentia objecti pravi sine intentione assequendi, vel exequendi illud (2).

42. *Quotuplex esse potest delectatio morosa ?*

Multiplex : vel de objecto, aut opere pravo ; vel de cognitione objecti pravi ; vel de modo patrandi malum.

43. *Delectatio morosa estne peccatum ?*

Vel est de objecto, aut opere malo, est peccatum. Vel de cognitione objecti mali sine consensu, et ejus periculo ob necessitatem, aut utilitatem, non est peccatum ; si vero absque necessitate, vel utilitate, peccatum leve erit. Vel est de modo patrandi malum : si ipse modus est malus, est peccatum ; secus non est peccatum. Hinc peccatum grave, vel leve erit, et illius speciei, prout est objectum.

44. *Delectatio morosa specificaturne tantum ab objecto, anne etiam ex circumstantiis ?*

Si delectatio cadat non solum in objectum, sed etiam in circumstantias objecti, specificatur etiam ex circumstantiis. Si vero circumstantiae actu mentis praescindantur ab objecto, quaestio inter Doctores.

45. *Delectatio, vel desiderium de re prohibita sub conditione, si prohibita non esset, estne licitum ?*

Vel est de re intrinsece mala, non est licita ; quia conditio haec non potest tollere malitiam objecti. Vel est de re mala, quia prohibita ; et quia haec

---

proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

(1) Dicitur morosa a mora rationis, seu voluntatis ; quatenus voluntas malitiose moratur in objecto pravo cognito, et non adversatur illi.

(2) Desiderium est appetitio consequendi aliquod objectum pravum : consensus, seu propositum est determinatio voluntatis exequendi, vel assequendi aliquod pravum. Hinc id, quod dicitur de delectatione morosa, dictum intelligitur etiam de desiderio, et proposito, et pariter de Tristitia alicujus boni operis.

conditio tollit totam malitiam objecti, est licita (1).

46. *Peccatne qui se delectat de opere mortaliter peccaminoso, quod inculpabiliter commisit?*

Si causa, quae a culpa excusavit, abstulerit omnem malitiam actionis, etiam objectivam, non peccat; quia non se delectat de actione mala. Si causa, quae excusavit, abstulerit tantum malitiam formalem, peccat; quia opus objective fuit malum: uti patet ex prop. damnata ab Inn. XI. (2).

47. *Peccatne qui se delectat de opere aliquando licito, sed in praesenti illicito?*

Maxime, quando opus est intrinsece illicitum; quia semper se delectat de opere hic et nunc illicito. Hinc non licet viduis se delectare de copula habita in matrimonio; sicut etiam non licet sponsis de futuro de copula habenda (3).

48. *Licetne delectatio inter conjuges de copula habita, vel habenda?*

Vel non habetur periculum pollutionis, seu non excitatur magna commotio spirituum; vel potest copula haberi inter ipsos, licet; quia non est de objecto malo. Secus vero, non licet.

49. *Estne licitum se delectare de effectu bono secuto ex opere malo?*

Maxime; quia delectatio non cadit super opus malum, sed super effectum bonum.

50. *Estne licita delectatio de malo opere ob effectum bonum inde secutum?*

---

(1) Licet cuique se delectare de esu carnis sub conditione: si non esset illa die prohibitus; quia haec conditio tollit totam malitiam actionis malae, quatenus illa die non aliis diebus prohibetur. Non licet vero delectationem capere de copula habenda cum aliqua foemina, sub conditione: si esset sua uxor; quia haec conditio in praesenti non tollit malitiam actionis.

(2) Prop. 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.*

(3) Quod etiam potest esse peccatum ratione periculi proximi, aut consensus, aut pollutionis etc.

Minime ex D. Thoma; et oppositum est damnatum in citata propositione.

51. *Potestne quis se delectare de morte proximi, vel de alio malo; aut ista optare?*

Vel est de morte spirituali, vel malo spirituali proximi, non licet. Vel de morte, aut alio malo temporali proximi ob bonum spirituale ipsius proximi, aut ob bonum commune, licet. Ob bonum vero peculiare, non licet; et oppositum est damnatum ab Inn. XI. (1).

De peccatis in specie.

De Scandalo.

52. *Quid est scandalum?*

Est dictum, vel factum minus rectum praebens alteri occasionem suae spiritualis ruinae (2).

53. *Quotuplex est scandalum?*

Duplex: activum, et passivum. Primum est, ut supra definitum. Secundum est ipsa spiritualis ruina orta ex dicto, vel facto minus recto.

54. *Quotuplex est scandalum activum?*

Duplex est: directum, et indirectum. Primum, quando factum, vel dictum expresse dirigitur ad inducendum aliquem in peccatum. Secundum, quando

---

(1) Prop. 13. *Si cum debita moderatione facies, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare; non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

(2) Dicitur *dictum, vel factum*, quia sola actio externa potest praebere occasionem ruinae spiritualis; dicitur *minus rectum*, quia non requiritur, ut haec actio sit revera mala, sed sufficit, si habeat speciem mali. Sub dicto vel facto intelligitur etiam non dictum, et non factum; ideoque pariter scandalum affert ille, qui invitat ad turpia, et ille, qui non impedit turpia, cum tenetur. *Praebens occasionem*, quia non requiritur causa, vel ut revera sequatur ruina spiritualis, sed sufficit, ut motivum praebeatur ad ruinam.

non intenditur ruina spiritualis alterius, sed suum, vel alterius commodum; et praevidetur, vel potest praevideri ex ipsa actione alium induci ad peccatum (1).

55. *Quotuplex est scandalum passivum?*

Duplex est: pusillorum, et pharisaicum. Primum, quando quis patitur scandalum ob suam ignorantiam, vel fragilitatem. Secundum, quando quis scandalizatur ex sua mera malitia.

56. *Scandalum activum, sive directum, sive indirectum, estne speciale peccatum?*

Maxime contra charitatem; quia tenemur procurare salutem spiritualem proximi. Scandalum vero passivum non est speciale peccatum, sed est illius speciei, cujus est actio.

57. *Quot peccata committit, qui alteri praebet scandalum?*

Praeter peccatum contra charitatem: tot peccata committit, quot sunt laesiones virtutum, ad quas violandas inducit (2).

58. *Quomodo manifestandum sit in confessione scandalum allatum?*

Non solum est manifestanda species inductionis, seu ad quale peccatum scandalum inducebat; sed e-

---

(1) Alii cum Stampò et D. Ligorio distinguunt scandalum in datum, et acceptum. Datum, quando expresse datur ad inducendum in malum; acceptum, quando aliquid bonum, vel indifferens factum, vel dictum ab aliquo sumitur in malum. Uti si quis videns aliquem adesse Sacro in aliqua Ecclesia, hoc ipsum credat fieri ob malum finem; aut quando si jejunium, recitatio Rosarii peracta ab uxore excitet ad iram, blasphemias, etc. maritum.

(2) Peccatum hoc contra charitatem est grave ex genere suo; at si ad leve peccatum inducatur, erit leve. Ex aliquibus gravioribus DD. colligitur scandalum indirectum non esse speciale peccatum contra charitatem. Alii vero tenent, ex scandalo indirecto oriri peccatum speciale contra charitatem, sed non contra virtutem, quae laeditur ex inductione, seu scandalo. At sententia D. Ligorii cum pluribus DD., quam secutus sum, est rationabilior. Vide D. Lig. lib. 2. n. 45.

tiam numerus, ac conditiones inductorum (1).

59. *Qui pravo suo exemplo inducit aliquem ad furandum, aut ad aliud damnum inferendum, teneturne ad restitutionem?*

Vel praevidit, vel praevidere potuit, quod ex suo pravo exemplo induceretur alter ad furandum, aut ad damnum inferendum, tenetur; quia tenetur ex justitia se abstinere ab illa occasione, quae est causa influxiva damni. Secus, non tenetur; quia est tantum occasio (2).

60. *Mulier, quae se ornat, et aspectui aliorum se praebet, peccatne scandalo?*

Vel se ornat secundum morem patriae, decentiam Christianam, et qualitatem sui status sine ulla prava intentione, non peccat; secus, peccat.

61. *Quid si mulier modeste, ac decenter ornata se praesentet viris, a quibus scit turpiter amari; peccatne scandalo?*

Vel hoc facit ex necessitate, vel utilitate, non peccat; quia utitur jure suo; secus peccat; quia ex charitate tenetur sine suo gravi incommodo vitare scandalum proximi.

62. *Peccatne scandalo, qui praebet alteri occasionem peccandi ad experientiam, vel ad correctionem?*

Maxime; quia directe quaereret malum proximi.

63. *Num peccet scandalo, qui permittit malum alterius ob bonum finem?*

Non peccat, quando concurrunt sequentes conditiones: nempe, ut finis bonus alio modo haberi non possit; ut adsit spes emendationis; et ut permittens non teneatur ex vi sui muneris impedire malum.

---

(1) Si quis peccet coram aliquibus valde probis, qui magis occasionem sumunt virtutis, quam scandali; vel coram valde improbis, qui non censentur ansam sumere; non habetur peccatum scandali juxta aliquos. Excipiuntur vero actiones turpes, ex quibus semper sumitur stimulus ad peccatum.

(2) Proximus habet jus, ut agens se abstineat ab illicitis, quae ei damnum inferre possunt; ideoque cum agens non se abstineat, laedit jus proximi, et est causa damni proximo illati.

64. *Peccatne, qui suadet minus malum alicui parato ad inferendum majus malum?*

Litigant inter se Doctores; at communius non peccat, quando adsunt sequentes conditiones: nempe, ut nullo modo proximus possit diverti a majori malo, nisi suasione minoris; ut minus malum sit in eodem genere mali; ut nullum inferatur damnum tertiae personae.

65. *An peccet, qui cooperatur peccato alterius?*

Duplici modo potest quis cooperari peccato alterius: formaliter, vel materialiter. Formaliter est, quando quis ponit actionem influxivam mali, qua alter uti non potest sine peccato; materialiter est, quando quis ponit actionem de se non malam, qua alter uti potest sine peccato (1). His praemissis: si formaliter cooperetur peccato alterius semper peccat; quia proxime influit in peccatum alterius. Si vero materialiter cooperetur, non peccat concurrentibus hisce conditionibus: 1. ut actio sit bona, vel saltem indifferens; 2. ut ponatur sine ulla intentione peccati alterius; 3. ut concursus sit remotus; 4. ut adsit justa, et rationabilis causa.

66. *Num peccet scandalo, qui petit Sacramenta ab indigno ministro, mutuum ab usurario, juramentum a pejuraturo?*

Si habet justam causam, non peccat; quia charitas non obligat cum gravi incommodo. Secus, peccat.

67. *Peccatne famulus apponens scalam vel humeris sustinens dominum ascendentem per fenestram ad fornicandum: ne ipse torvis oculis aspiciatur a domino, vel ne expellatur e domo?*

Maxime; et oppositum est damnatum ab Inn. XI. (2).

---

(1) Ex D. Ligorio cooperatio formalis est, quando quis cooperatur in malam voluntatem alterius; materialis, quando cooperatur in malam actionem.

(2) Prop. 51. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, et multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando; non peccat*

68. *Quid si hoc faciat famulus gravi metu mortis, vel mutilationis ?*

Quaestio inter Doctores.

69. *Ad evitandum scandalum teneturne quis omittere opera bona ex praecepto, vel consilio ?*

Ad evitandum scandalum pharisaicum non tenetur; ad scandalum pusillorum tenetur omittere opera ex consilio, vel differre, vel occultare, donec proximus moneatur de suo errore. De operibus ex praecepto, quaestio (1).

De Sacrilegio.

70. *Quid, et quotuplex est sacrilegium ?*

Est violatio rei, vel personae, vel loci sacri. Proindeque sacrilegium triplex esse potest: reale, personale, et locale (2).

71. *Haec diversa sacrilegia differuntne specie inter se?*

Maxime; quia formaliter diversa est sanctitas rei, personae, et loci, qui per sacrilegium laeditur.

72. *Sacrilegium estne peccatum grave ?*

Ex genere suo est peccatum grave, nisi excuset parvitas materiae, vel inadvertentia; quia est contra

---

mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; puta ne a domino maletractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne e domo expellatur.

Hinc infertur, omnes alias similes actiones servorum peccato domini formaliter cooperantes, esse peccatum scandali.

Qui locat domum meretrici in locis, in quibus non est permissum eas habitare, peccat; si vendat, vel locat vestea necessarias ad simplicem vestitum, non peccat; secus, peccat. Caupones, vendentes vinum, vel carnes abusuris, si adsint conditiones excusantes a cooperatione materiali, non peccant.

(1) Quod si opus aliquod non malum, neque speciem mali continens videatur afferre scandalum pusillis, tenemur illud omittere ad evitandum ejusmodi scandalum, donec isti admoneantur de suo errore.

(2) Violatio est indigna tractatio rei, vel personae, vel loci immediate Deo dicati. At ut res sit Deo dicata, requiritur forma, et erectio.

Religionem, quae est virtus excellentissima inter morales; et hoc peccato inhonoratur Deus in rebus sibi dicatis (1).

73. *Potestne dari sacrilegium in omissione?*

Maxime, quando omittitur reverentia debita rei sacrae (2).

74. *Quotuplici modo violatur res sacra?*

Multiplici modo: per abusum Sacramentorum, et sacramentalium: seu indigne administrando, vel suscipiendo; per abusum vasis, calicis consecrati, altaris, crucis, imaginum, etc.; tandem per abusum verborum sacrae Scripturae.

75. *Qui usurpat bona, vel jura Ecclesiae inciditne in aliquam poenam?*

Ex Tridentino (3) incidit in excommunicationem Papae reservatam, etiamsi usurpator fulgeat regia, vel imperiali dignitate; et etiam ille, ad quem perveniunt: a qua excommunicatione non potest absolvi, donec restituat.

76. *Num debitores locorum piorum, et administratores hujusmodi debitorum incidant in aliquam poenam, si requisiti non solverint?*

Maxime: in Dioecesi Neapolitana in casum reservatum Ordinario; etiamsi extrajudicialiter requisiti a Rectoribus, vel Administratoribus, vel a Procuratoribus redditus, vel census intra mensem non solverint.

77. *Quotuplici modo violatur persona sacra?*

Multiplici modo: vel injiciendo violentas manus in personam sacram, aut aliam actionem violentam, et contumeliosam contra eam exercendo; vel luxuriose

---

(1) Non omne, quod est contra virtutem Religionis, est sacrilegium: uti non sunt sacrilegia perjurium, tentatio Dei, superstitio, idololatria, etc.

(2) In istis omissionibus ordinario peccatur leviter; acque, ac quando leviter violantur res non undequaque sacrae: ut si qui surripiat aliquid leve non consecratum in Ecclesia, vel loquatur moderate in Ecclesia.

(3) Sess. 22. cap. 11, de Reformatione.

tractando ejus corpus; vel exigendo ab ea tributum, aut subjiciendo foro saeculari (1).

78. *Persona sacra committitne sacrilegium semper, ac peccat?*

Minime, sed solum, quando violat votum, quo est Deo dicata.

79. *Sacerdos Religiosus committitne duplex sacrilegium peccando contra castitatem?*

Minime; quia haec duo vota praecipiunt sub eodem motivo formali: malitia tamen gravior est.

80. *Persona sacra, quae turpiter agit cum alia persona sacra, committitne duplex sacrilegium?*

Maxime: ob violationem voti ipsius, et alterius personae.

81. *Ligatus voto castitatis committitne sacrilegium inducendo quempiam ad turpiter agendum cum alia persona?*

Affective est reus sacrilegii. Effective vero peccat, si se delectet de illa turpitudine, ad quam inducit.

82. *Quotupliciter violatur locus sacer?*

Multiplici modo: per pollutionem Ecclesiae, vel Coemeterii; per violationem immunitatis Ecclesiae quoad confugientes ad eam; per exercitium actionis profanae in Ecclesia: uti negotiationis, etc.; per furtum patratum in Ecclesia.

83. *Quibus modis haberi potest furtum sacrilegum?*

Tribus modis: auferendo sacrum de sacro, sacrum de non sacro, et non sacrum de sacro.

84. *Qui committit furtum sacrilegum, inciditne in aliquam poenam?*

Si furetur Ecclesiam cum expoliatione, et effractione Ecclesiae, incidit in excommunicationem ipso facto: quae excommunicatio ante denuntiationem ab Ordinario factam est ipsi Ordinario reservata; post

---

(1) Haec duo sunt intelligenda in regno Neapolitano prout nunc vigent ex Concordato. Ita pariter quoad casum in Dioecesi Neapolitana reservatum Ordinario de trahente, vel trahere procurante clericum ad forum saeculare.

denuntiationem est Summo Pontifici reservata. Ex cap. *Conquestus* de sent. excom. in 6.

85. *Quid venit per illud expoliatio, et effractio?*

Expoliatio habetur, quando surripitur ea quantitas ab Ecclesia, qua dici possit Ecclesia esse expoliata habita ratione status illius. Effractio est violenta aperitio: idest rumpendo januas, parietes, tectum Ecclesiae.

86. *Qui expoliat Sacristiam, aut Coemeterium per effractionem: vel effrangit Sacristiam, aut Coemeterium, et expoliat Ecclesiam, inciditne in hanc poenam?*

Si Sacristia, vel Coemeterium faciunt unum cum Ecclesia, incidit; secus, non incidit.

87. *Quomodo polluitur Ecclesia?*

Primo per homicidium voluntarium; 2. per injuriosam sanguinis humani effusionem; 3. per effusionem humani seminis mortaliter illicitam; 4. per sepulturam excommunicati vel interdicti vitandi, vel infidelis.

88. *Quid requiritur, ut in hisce capitibus polluatur Ecclesia?*

In omnibus capitibus requiritur factum notorium; in tribus prioribus etiam culpa gravis (1).

89. *Polluta Ecclesia, polluiturne Sacristia, et Coemeterium?*

Si faciunt unum cum Ecclesia, polluuntur; quia principale trahit ad se accessorium; secus, non polluuntur. Non vero polluta Sacristia, vel Coemeterio polluitur Ecclesia (2).

---

(1) Notorietas facti habetur, quando saltem decem personis constat delictum. Notorietas famae etiam sufficit, quamvis post aliquod temporis spatium habeatur. D. Lig. L. 6. n. 364. In homicidio, et effusione sanguinis requiritur, ut causa immediate sit posita in Ecclesia, etiamsi mors, aut effusio extra eam sequatur. Copula etiam maritalis habita sine necessitate polluit Ecclesiam; quia est graviter peccaminosa ratione loci.

(2) Dicitur facere unum cum Ecclesia, quando Sacristia, vel Coemeterium excurrit inter muros principaliores Ecclesiae.

90. *Qui facit sacrum in Ecclesia polluta, peccatne, et incidit in aliquam poenam?*

Peccat graviter contra praeceptum Ecclesiae, sed in nullam poenam incidit (1).

91. *Patrantes homicidia, mutilationes in Ecclesiis, Coemeteriis, Sacristiis, aut in publicis Oratoriis inciduntne in aliquam poenam?*

Incidunt in casum Ordinario in Dioecesi Neapolitana reservatum cum excommunicatione (2).

92. *Quomodo manifestandum est sacrilegium in confessione?*

Necesse est manifestare non solum genus sacrilegii, sed etiam species subalternas sacrilegii (3).

De Blasphemia.

93. *Quid est blasphemia?*

Est falsa locutio in Deum per modum convicii.

94. *Quotuplex est blasphemia?*

Multiplex est: immediate, et mediate. Immediate, quando blasphematur ipse Deus; mediate, quan-

---

(1) Ex cap. *Is; qui* de Sent. excom. in 6. Ecclesia polluta reconciliatur per Episcopum, si est consecrata; si non est consecrata, per simplicem Sacerdotem ex licentia Episcopi sola aqua benedicta.

(2) In hunc casum non incidunt, qui alia perpetrant; vel casu, vel cum moderamine inculpatae tutelae occidunt, aut mutilant; quia deest culpa. Item maritus, qui in instanti occidit, vel mutilat suam uxorem turpiter agentem, vel ejus complicem, non incidit in hunc casum, quamvis peccet. Ille, qui vulnerat, percutit, vel verberat, vel rumores, rixas, tumultus excitat in Ecclesia, incidit in excommunicationem nemini reservatam ex Synodo Neapolitana.

(3) Non sufficit manifestare, se commisisse sacrilegium personale; sed etiam debet manifestare, se egisse luxuriose, vel percussisse, etc. Item in sacrilegio locali: se locum violasse per pollutionem Ecclesiae, vel per furtum, vel per exercitium actionis profanae etc.

Circumstantia temporis sacri in commissione peccati juxta aliquos non addit rationem sacrilegii; saltem tantum est aggravans peccatum, praesertim, si sit turpe.

do blasphematur Beata Virgo, Sancti, anima humana etc. Insuper haereticalis, et simplex. Prima, quae continet aliquem errorem contra fidem: scilicet vel denegando Deo, quod ei convenit; vel tribuendo creaturis, quod Deo convenit; vel tribuendo Deo, quod non convenit. Secunda, quando solum continet convicium. Quae quidem dividitur in imprecativam, et dehonestativam. Dehonestativa, quando aliquid Deo conveniens dicitur per modum convicii; imprecativa, quando aliquid mali imprecatur Deo (1).

95. *Blasphemia estne peccatum grave?*

Maxime ex toto genere suo; quia positive laeditur infinita Dei majestas, et dehonoratur Deus, qui est laudandus in se, et in Sanctis suis.

96. *Blasphemia contra Deum, B. Virginem, ac Sanctos differuntne specie?*

Maxime: ex diverso cultu, quo colitur Deus, B. Virgo, et Sancti.

97. *An blasphemantes incidant in aliquam poenam?*

In Dioecesi Neapolitana incidunt in casum reservatum Ordinario: quando scilicet blasphematur Deus, vel B. Virgo; ex perversa consuetudine; coram pluribus supra quatuor (2).

---

(1) Blasphemia potest esse etiam interna, seu mente concepta; et externa, uti supra: potest esse scriptis, opere; uti spuere in imagines etc. has lacerare, vel maletractare.

(2) Hinc si quis blasphemet coram dormientibus, distractis, surdis, infantibus, non incurrit casum; quia non advertunt isti praesentes, aut non intelligunt.

Deinde qui blasphemat dimidiando verba, uti *mannaggia Di . . . mannaggia Sa . . .*, si hoc faciat animo se comprimendi, et absque scandalo, et non ex consuetudine, non peccat.

Denique blasphemare mortuos, quando non adest scandalum, ex D. Ligorio contra alios non est peccatum mortale; quia solummodo corpus ordinario intelligitur blasphemare.

De Mendacio.

98. *Quid est mendacium?*

Est dictum contra mentem animo fallendi (1).

99. *Quotuplex est mendacium?*

Triplex est: jocosum, officiosum, et damnosum. Primum est, quod profertur ob jocum. Secundum, quando dicitur ad utilitatem. Tertium est, quando nocet alteri.

100. *Mendacium estne peccatum grave?*

Jocosum, et officiosum sunt ex se peccata levia. Damnosum est grave, quando damnum est grave (2).

101. *Mentiturne, qui utitur restrictione mentali?*

Restrictio mentalis duplex esse potest: pure mentalis, vel mixte mentalis. Pure mentalis est verbum, aut locutio, quae habet sensum in mente loquentis diversum a naturali sensu verborum. Mixte mentalis est, quae habet duplicem sensum, unum naturalem, et alium qui oritur ex circumstantiis appositis ab ipso loquente. Hinc qui utitur restrictione mixte mentali, non mentitur; quia celat veritatem; qui vero utitur restrictione pure mentali, mentitur; quia profert falsitatem (3).

102. *Qui adhibet amphibologiam, seu aequivocum, estne mendax?*

Minime; quia aequivocum ex se duplicem sensum habet. Attamen restrictio mixte mentalis, et aequivocum potest adhiberi, quando nulla adest obligatio manifestandi veritatem.

---

(1) Ex D. Augustino cap. 22. Enchiridii. Potest etiam signis quis mentiri.

(2) Qui mentitur in judicio, nempe coram judice legitime interrogante, peccat contra veritatem, contra justitiam legalem; et si adsit damnum alterius, et juramentum, peccat etiam contra justitiam commutativam, et Religionem.

(3) Restrictio pure mentalis subjicit verbis sensum, qui nullo modo, prout est in mente loquentis, potest percipi ab audiente. Restrictio autem mixte mentalis praefert sensum, qui ex circumstantiis appositis potest percipi a sagaciori audiente, prout intelligit ille, qui loquitur.

De judicio, suspicione, et dubitatione temeraria.

103. *Quid, et quotuplex est judicium?*

Est assensus mentis uni parti sine formidine de opposito (1). Et duplex est: prudens, et temerarium. Prudens est, quando sufficientibus rationibus, et indiciis innititur. Temerarium est, quando nullis, aut levibus rationibus, vel vanis conjecturis innititur.

104. *Quandonam judicium temerarium de malo gravi proximi sit peccatum grave?*

Quando judicium est determinatum, et fit cum advertentia temeritatis. Hoc peccatum est contra justitiam.

105. *Quid est suspicio?*

Est inclinatio mentis ad assentiendum uni parti potius, quam alteri.

106. *Quid est dubitatio?*

Est suspensio intellectus inter assensum, et dissensum.

107. *Estne peccatum grave temere dubitare, vel suspicari de gravi malo proximi?*

Minime: quia per dubitationem, vel suspicionem parum laeditur fama proximi. At posset esse peccatum grave, si esset de persona honesta in aliquo delicto valde enormi, aut extraordinario (2).

De Secreti manifestatione.

108. *Quid est secretum?*

Est obligatio non manifestandi aliquid.

109. *Quotuplex est secretum?*

Triplex est: naturale, promissum, commissum et promissum. Naturale est, quando aliquod ex sua natura exigit non revelari. Promissum, quando promittitur, aliquod non revelare. Commissum, et pro-

(1) Si est cum formidine de opposito, dicitur opinio, non judicium certum.

(2) Uti esset de delicto haeresis. Nam aegrius fertur a tali persona haec suspicio.

missum est, quando aliquid alicui communicatur cum pacto expresso, vel tacito non revelandi (1).

110. *Estne peccatum manifestare secretum?*

Vel secretum est promissum, grave vel leve est peccatum, prout promittens intendit se obligare; vel est naturale, est peccatum grave, si materia est gravis; vel est promissum et commissum, etiam est grave peccatum, nisi excuset parvitas materiae (2).

111. *Danturne casus, in quibus licet revelare secretum?*

Maxime: et 1.° ratione justae causae (3); 2.° coram judice legitime interrogante, etiamsi adsit juramentum; 3.° ob bonum magni momenti sive spiritualis sive temporalis communitatis, vel innocentis, vel ejus, cujus est secretum (4).

De Detractione, et Contumelia.

112. *Quid detractio?*

Est injusta ademptio bonae famae alterius in ejus absentia.

113. *Quid est contumelia?*

Est injusta laesio honoris alterius coram ipso, sive dictis, sive factis.

114. *Quid est fama, quid honor?*

Fama est alienae excellentiae existimatio. Honor est alienae excellentiae testificatio ex D. Thoma.

115. *Quid calumnia?*

Est impositio falsi criminis, vel defectus.

116. *Differuntne specie inter se contumelia, et detractio?*

---

(1) Ut est pactum tacitum cum medicis, advocatis etc.

(2) Revelatio cujuscumque secreti semper peccatum grave erit contra justitiam, si grave damnum afferat, aut graviter laedatur ille, cujus est secretum.

(3) Ut esset vi tormentorum, metu mortis: dummodo manifestatio non cedat in damnum commune.

(4) Nam semper secretum censetur esse promissum cum tacita conditione: *non concurrentibus hujusmodi circumstantiis.*

Maxime, per diversum modum difformitatis ad justitiam. Nam prima laedit honorem, secunda laedit famam (1).

117. *Quotuplici modo potest quis detrahere?*

Duplici modo: infamando, et diffamando. Infamando, quando delictum falsum imponitur; diffamando, quando delictum occultum manifestatur. Hinc infamatio est gravior diffamatione.

118. *Quotuplex esse potest detractio?*

Duplex: directa, et indirecta. Directa, quando malum proximi dicitur; indirecta, quando bonum proximi occultatur. Prima multipliciter potest fieri, uti videre est in hoc versiculo:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Secunda etiam, uti patet in sequenti versiculo:

Qui negat, aut reticet, minuit, laudatque remisse (2).

119. *Suntne peccata gravia detractio, et contumelia?*

Ex genere suo sunt gravia; quia graviter laeditur proximus in fama, et honore: quae sunt bona divitiis praestantiora; sed possunt esse levia ratione parvitatis materiae. Item dicendum de susurratione, et irrisione

---

(1) Differunt etiam specie inter se detractio, susurratio, et irrisio. Nam detractio tantum tendit ad denigrandam famam; susurratio ad disseminandas discordias inter amicos; irrisio ad imponendum pudorem ob alterius defectus manifestationem ipso praesente.

(2) Directe potest fieri, aut imponendo falsum delictum, aut augendo verum delictum, aut manifestando occultum, aut in sinistrum factum interpretando. Indirecte vero: aut negando recta facta alterius, aut malitiose silendo, quando hoc silentium indicat malum factum ab altero; aut diminuendo aliquod recte factum; aut frigide alterum laudando. At si quis verbis generalibus alterum detrahat; magis detrahit.

Adverte, quod aliquo casu manifestatio delicti, vel defectus gravis potest esse peccatum leve, quando scilicet parum laedit famam proximi: uti si quis manifestaret militem fuisse ebrium etc. Et ita e contrario levis defectus manifestatio, quando graviter laedit famam, est peccatum grave: uti si quis diceret Episcopum saepius mentiri.

120. *Potestne aliquando esse licita detractio?*

Infamatio numquam est licita; diffamatio est licita ob aliquas causas: scilicet, ob consilium, vel auxilium petendum a viro prudenti; ob grave malum avertendum a communitate, vel a persona innocente; tandem ob bonum ipsius delinquentis (1).

121. *Num peccet graviter, qui alicujus crimen grave se audivisse narrat absque propria confirmatione, et proposito nocendi?*

Si audientes facile credant suae narrationi, peccat; secus, non peccat (2).

122. *Qui seipsum diffamat de gravi malo, peccatne?*

Si faciat sine justa causa, peccat leviter ex prodigalitate. Sed peccat graviter, si faciat ex complacentia, aut jactantia, aut adsit scandalum, vel periculum gravis damni.

123. *Peccatne, qui defunctum detrahit?*

Maxime; quia defunctus post mortem etiam retinet jus ad famam; et cum non possit per se amplius recuperare famam, detractio hujusmodi est peccatum majus detractione vivorum.

124. *Num peccet, qui detractorem audit, vel excitat?*

Quando expresse, vel tacite movet ad detrahendum, peccat contra justitiam et charitatem graviter, vel leviter prout est inductio.

125. *Peccatne, qui cum posset detractionem expresse, vel tacite impedire, non impedit?*

---

(1) Si delictum manifestetur viro prudenti ob solatium, secundum aliquos non est peccatum grave; dummodo grave damnum non eveniat diffamato. Non licet manifestare testatori, puellam aliquam non esse virginem, cui testator putans esse virginem legatum reliquit: dummodo ista puella publice virgo existimetur. Secus autem dicendum est, si aliqua puella existimetur inops, quae talis non est: tunc enim manifestare licet, eam non esse inopem. Nam quae occulte non est virgo habet adhuc jus ad famam; quae autem inops non est, non habet jus ad eleemosynam.

(2) Narrare grave delictum falsum alicui impositum, est peccatum grave; quia semper innocens diffamatur de aliquo falso crimine.

Maxime: contra charitatem; quia unusquisque tenetur impedire malum proximi sine suo gravi incommodo (1). At si tenetur ex officio impedire, peccat contra justitiam.

126. *In quibus casibus praeceptum impediendi detractionem non obligat?*

In sequentibus casibus: 1. si impediendo magis excitaretur: 2. si non sit moraliter certum, esse veram detractionem: 3. si judicetur, detractorem habere justam causam (2): 4. si prudenter existimetur, correctionem non esse profuturam.

127. *Potestne delictum publicum* (3) *detegi ubi non est publicum?*

Delictum publicum per sententiam judicis potest in omni loco detegi, ubi judex habet jurisdictionem (4). Delictum publicum publicitate facti, vel famae an possit detegi, non una est sententia Theologorum (5).

128. *Diffamatus de uno crimine potestne diffamari de aliis criminibus?*

Si alia crimina sint minora, et conjuncta cum illo crimine, de quo est diffamatus, stante justa causa ne veniale quidem peccatum est. Secus vero, est peccatum grave contra justitiam; quia graviter laeditur fama proximi.

129. *An liceat uti detractione in compensatione propriae famae?*

---

(1) Ex D. Thoma si quis non impediat ex timore, negligentia, vel ex verecundia, multo minus peccat, et plerumque venialiter.

(2) Uti si qui judicat, eum, qui detrahit, habere causam petendi consilium, monendi aliquem etc.

(3) Delictum potest esse publicum publicitate juris, nempe quando fit publicum per sententiam judicis, aut per confessionem rei, aut per depositionem testium; publicitate facti, quando delictum est commissum in publico; publicitate famae, quando delictum est divulgatum.

(4) Potest vero adesse peccatum contra charitatem, saltem leve, quando nulla est justa causa manifestandi.

(5) Non esset peccatum grave, quando de facili notitia est in eum locum perventura.

Si hoc fiat infamando, non licet; quia est intrinsece malum (1). Si hoc fiat diffamando, non ad compensandam famam, sed praecise ad avertendum grave damnum, cum non sit alia via defendendi, licet.

130. *Quid est libellus famosus?*

Est signum, vel scriptura ad alterius infamiam publicandam (2).

131. *In quam poenam incidunt condentes libellum famosum?*

Condentes libellum famosum contra Summum Pontificem, vel Cardinales, vel contra aliquam communitatem Religiosorum mendicantium, incidunt in excommunicationem Papae reservatam (3).

132. *Incidantne in aliquam poenam deponentes falsum in judicio?*

In Neapolitana Dioecesi incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam omnes falsum deponentes in quavis Curia Civitatis, et Dioecesis cum gravi damno tertii: etiam procurantes, aut inducentes ad deponendum, aut quomodocumque utentes falsis testibus, depositionibus, instrumentis, scripturis, tam publicis, quam privatis. Item dolose objicientes falsum matrimonii impedimentum; necnon dantes auxilium, consilium ad illud dolose objiciendum. Ex Casu sexto in Tab.

---

(1) Nam est verum mendacium damnosum: ut clare patet ex prop. 43. et 44. ab Inn. XI. damnatis. En prop. *Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?*

Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui; ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile; vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

(2) Conditiones requisitae ad libellum famosum sunt: 1. ut occultetur nomen libellantis: 2. ut exprimatur nomen libellati: 3. ut libellus publicetur: 4. ut praeter contumeliam contineat delictum considerabile: 5. ut fiat dolo.

(3) Ex Bulla Pii V. *Rom. Pontif. providentia*, et ex Const. Alexandri IV. *Ex alto*. At aliqui DD. magni nominis aliter referunt.

133. *Quaenam conditiones requirantur ad incurrendum hunc casum?*

Plures: 1. ut depositio fiat coram judice; 2. ut adsit juramentum, si fiat per depositionem testium; 3. ut grave damnum sit pro divite quinquaginta aureorum, pro paupere decem. In objectione falsi impedimenti matrimonii requiritur, ut fiat dolo.

De furto, et rapina.

134. *Quid est furtum?*

Est occulta, et injusta ablatio rei alienae domino rationabiliter invito.

135. *Quid est rapina?*

Est violenta ablatio rei alienae domino rationabiliter contradicente.

136. *Quotuplex est furtum?*

Duplex est: simplex, et qualificatum. Simplex est illud, quod continet tantum malitiam contra justitiam; qualificatum est illud, quod praeter malitiam contra justitiam continet aliam malitiam contra aliam virtutem: uti furtum sacrilegum; quod est furtum rei Sacrae (1).

137. *Suntne peccata gravia furtum, et rapina; et an differant specie inter se?*

Ex genere suo sunt peccata gravia, nisi excuset parvitas materiae. Differunt specie per diversum modum difformitatis contra justitiam; quia per rapinam laeditur etiam libertas personae.

138. *Danturne casus, in quibus est grave peccatum surripere aliquid leve?*

Maxime: 1. ratione gravis damni; 2. ratione inductionis ad grave damnum inferendum; 3. ratione

---

(1) Furtum qualificatum ad quatuor species reducitur: nempe ad *Peculatum*, quando scilicet surripitur pecunia publica; ad *Plagium*, quando homo liber, vel servus alienus venditur, donatur, vel in servitutem adducitur; ad *Albigeatum*, quando auferuntur oves, equi, et alia hujusmodi animalia; et ad *Sacrilegium*.

magni moeroris domino allati ; 4. ratione finis mortalis adjuncti ; 5. ratione intentionis perveniendi ad materiam gravem.

139. *Num peccet mortaliter a principio, qui per plura furtula pervenit ad materiam gravem?*

Si a principio habet intentionem perveniendi ad materiam gravem, a principio graviter peccat; secus, quando pervenit ad materiam gravem.

140. *Peccatne graviter, qui jam pervenit ad materiam gravem, et aliud furtulum addit?*

Quaestio est inter Theologos. At rationabiliter distinguitur: si advertat, vel possit advertere, se materiam gravem augere isto furtulo, peccat graviter; secus, leviter peccat.

141. *Coalescuntne furtula per magnum temporis spatium inter unum, et aliud interpositum?*

Dissidium inter DD. At D. Ligorius docet, non coalescere, si inter unum, et aliud intercedat spatium duorum mensium.

142. *Quaenam quantitas requiratur ad furtum grave, seu ad constituendum peccatum grave in furto?*

Quantitas notabilis furti judicio prudentum definienda est secundum Laymann. At aliqui Theologi docent, materiam gravem esse eam quantitatem, quae sufficit ad victum quotidianum illius, cui surripitur. Alii vero sentiunt, esse carolenum unum pro paupere, duos pro operariis, quinque pro divite, decem pro ditissimo, viginti pro principe (1).

143. *An liceat in necessitate surripere alienum?*

In necessitate communi, et gravi, non licet; et oppositum est damnatum ab Innoc. XI (2). In neces-

(1) Major autem ad furtum grave constituendum quantitas requiritur, quando aliquid surripitur per plura furtula; et magis, quando per notabile temporis spatium. Idem dicendum a fortiori in furtulis commissis a filiis, ab uxore, a parentibus, a consanguineis, ab amicis, etc. Laymann docet, duos, vel tres aureos a filio ablatos patri diviti posse esse materiam levem, quando filius est utilis patri. Lege D. Lig. lib. 3. n. 528.

(2) Propositio 36. *Permissum est furari etiam in gravi necessitate.*

sitate extrema, licet; quia tunc omnia sunt communia.

144. *Potestne quis surripere alienum ad succurrendum indigenti in extrema necessitate?*

Si non habeat, unde alio modo succurrere, potest; quia surripiens fit instrumentum indigentis.

145. *Uxor peccatne graviter, si furetur aliquid notabile a viro?*

Si uxor surripit aliquid notabile de bonis viri, vel de illis, quorum non habet plenum dominium, peccat graviter. Sic e contrario dicendum de viro (1).

146. *Danturne casus, in quibus uxor surripit aliquid notabile de bonis viri, aut de communibus, et dotalibus, et non peccat?*

Maxime: 1. quando surripit ad victum, et vestitum moderatum pro sua conditione; 2. ad donationes remuneratorias a marito faciendas; 3. ad moderatas eleemosynas; 4. ad quamcumque veram familiae necessitatem; 5. ad succurrendum parentibus, propinquis. Nam in his maritus non est rationabiliter invitus. Ita dicendum de marito quoad bona uxoris (2).

147. *Peccantne famuli, et famulae surripientes aliquid a dominis?*

Si de esculentis, et poculentis ordinariis ad eo-

---

(1) Bona conjugatorum sunt triplicis generis: scilicet, dotalia, parapharnalia, et communia. Prima sunt, quae dantur viro ad sustinenda onera matrimonii: et uxor de his habet solam proprietatem, vir vero ceterum. Secunda sunt omnia alia bona uxoris extra dotem: et de his uxor plenum dominium habet. At non potest de his contrahere absque mariti consensu ex Codic. vig. Tertia sunt, quae proveniunt ex communibus bonis durante matrimonio: et de his proprietas ad utrumque spectat pro medietate: usufructus, administratio ad virum. Idem sancitum est in Codice vigente in Regno Neapolitano. Sunt alia bona, quae dicuntur antipharnalia, quae assignantur uxori in compensatione reciproca dotis: et de his dominium, et usufructus ad maritum spectat.

(2) Quod dictum est de uxore, dicito de furtis filiorum quoad bona parentum, et de furtis parentum quoad bona filiorum. In tractatu de Contractibus dicetur, quibus de bonis possunt disponere filii; et proinde peccant surripiendo de illis, de quibus non possunt disponere.

rum usum moderate surripiunt, non peccant; quia domini non sunt rationabiliter inviti. Secus, peccant; e contraria ratione.

De Homicidio.

148. *Quid est homicidium?*
Est voluntaria, et injusta hominis occisio.

149. *Quotuplex est homicidium?*
Multiplex est: simplex, et qualificatum. Simplex est, quod tantum continet malitiam contra justitiam. Qualificatum est, quod praeter malitiam contra justitiam continet etiam malitiam contra aliam virtutem (1). Deinde aliud est voluntarium, aliud casuale. Primum est, quando deliberate fit sive directe, sive indirecte. Casuale est, quando praeter intentionem agentis accidit; et quidem duplex esse potest: vel pure casuale, vel mixte casuale. Pure casuale est, quando omnino accidit praeter intentionem ab actione, ex qua agens nec praevidit, nec potuit praevidere homicidium secuturum. Mixte casuale est, quando praeter intentionem sequitur, sed agens poterat illud praevidere, et tenebatur majorem diligentiam adhibere, vel ab actione se abstinere.

150. *Quo jure est prohibitum homicidium?*
Omni jure. Jure naturae: nemo laedendus; jure Divino: *non occides*; jure humano: ex poenis gravissimis, tam ex lege canonica, quam ex civili contra homicidas statutis. Homicidium gravissimum peccatum est; quia tollitur vita maximum hominis bonum naturale (2).

151. *An licite possit quis seipsum occidere?*

---

(1) Et potest esse ratione personae, uti occisio patris, fratris, clerici, etc. Ratione loci, uti in loco sacro. Ratione modi, ut per assassinium, per proditorium, duellum, etc. Ratione vero modi nulla habetur qualificatio Theologica, quia semper laeditur tantum virtus justitiae.

(2) Ex hoc etiam prohibetur mutilatio: quae est abscisio alicujus humani membri, quod speciale officium habet in corpore.

Directe nunquam potest; quia nemo est suae vitae dominus, sed tantum Deus. Indirecte, et negative sine justa, et gravissima causa ne potest quidem; quia tenetur quisque vitam suam conservare (1).

152. *Estne licitum occidere injustum aggressorem vitae propriae vel alterius?*

Maxime: cum moderamine inculpatae tutelae, idest concurrentibus sequentibus conditionibus: 1. ut aggressio sit injusta: 2. ut occisio sit in actu aggressionis: 3. ut non sit aliud medium ad servandam vitam: 4. ut non fiat ex odio, aut vindicta: 5. ut tantum percutiatur, quantum est necessarium ad defendendam vitam (2).

153. *Num liceat aliquem interficere ob defensionem famae, vel honoris?*

Minime: quia vita est superioris ordinis, quam fama, et honor; et oppositum est damnatum (3).

154. *Estne licitum occidere furem causa defendendi bona fortunae?*

---

(1) Ex justa causa esset, permittere suiipsius occisionem ob bonum commune: uti efficit miles in statione sua non deserenda; ob confessionem fidei; ob servandam virtutem, aut exercendam. At non tenetur quisque vitam conservare remediis extraordinariis, ita ut debeat pati gravissimum incommodum in sumptibus, in dolore, in rubore etc. Nam praeceptum conservandi vitam est affirmativum, quod non obligat omni tempore, et modo. Laymanu, Cuniliati, et Concina.

(2) Omnes leges, et jura permittunt vim vi repellere: et si hoc licet pro propria persona, etiam pro alterius defensione licet. At non tenemur ex charitate defendere alterius vitam ab injusto aggressore, quando grave damnum, vel periculum nobis imminet; sed licite tamen possumus.

(3) Prop. 30. ab Inn. XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit.* Prop. 17. ab Alexandro VII. *Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitantem, occidere, quando alius modus non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.*

Vel ista bona praecise sunt necessaria ad vitam, licet, quia habetur tamquam aggressor vitae. Vel ad vitam non necessaria, sed magni momenti, est quaestio. At rationabilius non licet; ex ratione allata superius. Vel sunt parvi momenti, non licet; atque oppositum est damnatum ab Inn. XI. (1).

155. *Licetne occidere invasorem pudicitiae suae, vel alterius?*

Litigium inter DD. At ex D. Antonino, D. Ligorio cum aliis, licet; quia pudicitia est bonum maximae excellentiae.

156. *An peccet maritus occidendo uxorem in adulterio deprehensam?*

Maxime: quia hanc potestatem non habet in uxorem; et oppositum est damnatum ab Alexand. VII. n. 19.

157. *Num liceat occidere innocentem?*

Directe non licet, ne publicae quidem auctoritati. Nam publica potestas tantum nocentes potest di-

---

(1) Prop. 31. *Regulariter occidere possumus furem pro conservatione unius aurei.*

Si fur veniat noctu; et tunc ex eo, quod etiam vita periclitari potest, licet se defendere etiam occisione; dummodo probabile periculum vitae in aggressione hujusmodi adsit.

Non licet defensione occisiva defendere ea, ad quae jus inchoatum habemus, aut quae possidere speramus: uti patet ex prop. damnatis ab Innocentio XI. n. 32. 33. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus; sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.* Altera: *Licitum est tam haeredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut jus habenti in Cathedram, vel Praebendam, contra eorum possessionem injuste impedientem.*

Non licet occidere injustum accusatorem, falsos testes, judicem iniquum, a quibus grave damnum in bonis fortunae, vel vitae provenit; quia alio modo potest quis se servare: oppositum est damnatum ab Alex. VII. Prop. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

recte occidere secundum ordinem juris. Indirecte, et per accidens, licet supremae potestati ob bonum commune (1).

158. *Inciduntne homicidae in aliquam poenam?*

De jure communi in irregularitatem (2). Ex jure Dioecesis Neapolitanae incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam, si occidant per pharmacum (3).

De Fornicatione, Stupro, et Adulterio.

159. *Quid est fornicatio?*

Est naturalis concubitus soluti cum soluta deflorata ex consensu habitus.

160. *Simplex fornicatio estne peccatum?*

Maxime; et est de fide: et quidem contra jus naturae; quia opponitur bono prolis, nempe educationi ex D. Thoma; atque oppositum est damnatum ab Innocent. XI. (4).

161. *Quid est stuprum?*

Est violenta virginis defloratio (5).

162. *Quot peccata in se continet stuprum?*

Plura: contra castitatem, contra justitiam, scilicet ob ablationem virginitatis; et contra charitatem,

(1) Banditos potest quis occidere, quando sunt juxta ordinem juris proscripti, et zelo publicae justitiae occiduntur; quia tunc habentur isti occisores tamquam executores justitiae publicae.

Qui dat operam rei illicitae, utrum sit reus homicidii, in tractatu de Restitutione dicetur.

(2) Si vero homicidium sit aliqua circumstantia qualificatum, in poenas adnexas illi qualitati incurritur, ut suis locis dicetur.

(3) Ex casu 12. In Tabel. In quem casum incidunt omnes conficientes cujuscumque generis venena in hominum perniciem etc.

(4) Prop. 48. *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

(5) Violentia sive physice, sive moraliter, nempe dolo, fraude, metu gravi, etc.

quia inducitur ad peccandum in posterum (1).

163. *Quid, et quotuplex est adulterium?*

Est violatio tori alterius. Et est simplex: quando scilicet solutus cum uxorata congreditur, vel e contrario; et duplex, quando uxoratus cum uxorata, vel viceversa. Simplex continet peccatum contra castitatem, et contra justitiam; duplex continet unum peccatum contra castitatem, et duo contra justitiam ob violationem juris duorum conjugum.

164. *Habeturne malitia adulterii, si conjux consentiat?*

Maxime; quia irrogatur injuria justitiae intrinsecae matrimonii, cui conjux renunciare nequit; ideoque oppositum fuit damnatum ab Inn. XI. (2).

De Incestu, et Concubinatu.

165. *Quid est incestus?*

Est concubitus cum persona sibi cognata, vel affine inter gradus prohibitos ad matrimonium (3).

166. *Quot peccata continet incestus?*

Duo peccata, scilicet contra castitatem, et pietatem personae sibi conjunctae debitam.

167. *Suntne incestus diversae gravitatis, et inter se specie distincti?*

---

(1) Potest continere etiam aliud peccatum contra justitiam, si damnum afferatur virgini, vel parentibus ejus.

Poenae canonicae contra stupratorem sunt ferendae sententiae: quae sunt, ut stuprator debeat puellam in uxorem accipere, vel dotare: si sit clericus, teneatur dotare, et sit deponendus, atque in strictius monasterium detrudendus ad agendam poenitentiam per decennium Can. *Presbyter* Dist. 82. Can. *Si quis* Dist. 81.

(2) Prop. 50. *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium; adeoque sufficit dicere in confessione, se esse fornicatum.*

(3) Cognata, seu conjuncta cognatione carnali, vel legali, vel spirituali. Deinde sciendum, quodcumque peccatum luxuriae cum talibus personis aut opere, aut corde commissum habere malitiam incestus.

Maxime: secundum aliquos DD. pro qualitate cognationis, et gradus (1).

168. *Quaenam sunt poenae contra incestuosos?*

Ex jure communi uxoratus cognoscens consanguineam uxoris usque ad secundum gradum privatur jure petendi; et sic uxor viceversa. Ex jure Dioecesis Neapolitanae tam affines, quam consanguinei usque ad secundum gradum inter se carnaliter cognoscentes incidunt in excommunicationem; quae pro viris tantum est Ordinario reservata: ex Casu n. 6. in Tabella.

169. *Quid est concubinatus?*

Est detentio mulieris instar uxoris.

170. *Quaenam conditiones requirantur ad constituendum concubinatum de jure Canonico?* (2)

Sequentes: pluralitas copularum (3), facilis accessus, animus perservandi, et ut mulier sit concubinarii usui mancipata, ita ut commercium cum alio viro non habeat.

171. *Qui habet concubinam uxoratam diciturne concubinarius?*

Maxime: secundum jus canonicum, dummodo mulier commercium cum viro suo non habeat.

172. *Qui habet foeminam tantum ad tactus, oscula, mollitiem, vel ad copulas sodomiticas, estne concubinarius?*

Minime: quia non habet instar uxoris.

173. *An sit Concubinarius, qui habet commercium cum foemina, sed non retinet uti suam, vel retinet ad tempus?*

Minime: quia non habet instar uxoris, neque

---

(1) D. Ligorius docet cum aliis, incestus distingui specie inter se tantum in primo gradu lineae rectae consanguinitatis, vel affinitatis; in aliis gradibus augeri tantum malitiam peccati, prout gradus propius ad stipitem accedit.

(2) Conditiones de jure Civili sunt: ut concubina in domo concubinarii habitet, et alatur: frequens concubitus: ut sint soluti, quatenus possint matrimonium contrahere: et ut ambo non habeant commercium cum alia persona.

(3) Quatuor, vel quinque copulae sufficiunt ad primam conditionem.

habet animum perseverandi in eo statu. Hinc neque dicitur concubinarius filiusfamilias, qui habet commercium cum famula animo perseverandi: quia non est in sua potestate eam retinere; nec etiam est concubinarius, qui vult contrahere matrimonium cum ea foemina, qua utitur ad hoc commercium.

174. *Potestne absolvi concubinarius?*

Non potes absolvi, nisi prius ejiciat concubinam: quia est in occasione proxima voluntaria; et patet ex prop. damn. ab Alex. VII. (1).

175. *In quam poenam incidunt concubinarii?*

Ex jure communi in excommunicationem ferendae sententiae (2). Ex jure Dioecesis Neapolitanae in casum Ordinario reservatum (3); a quo tantum possunt absolvi in sequentibus casibus: 1. quando concubinarius, et concubina facta reali separatione tori, et domus per duos menses se continuerint; 2. quando facti sunt physice vel moraliter impotentes ad reincidendum; 3. quando paulo post, scilicet intra tres dies cum dimidio, inter se contracturi sunt matrimonium.

De Sodomia, et Bestialitate.

176. *Quid est sodomia?*

Est concubitus perfectus ad sexum non debitum, vel ad vas non debitum. Hinc duplex est: perfecta, quae est concubitus perfectus maris cum mare; im-

---

(1) Prop. 41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum, deficiente illa; nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae toedio magno concubinarium afficerent; et alia famula nimis difficile inveniretur.*

(2) Si est clericus post primam monitionem ipso facto incidit in privationem tertiae partis fructuum beneficii, vel pensionis Ecclesiasticae; post secundam monitionem ipso facto amittit omnes fructus; post tertiam privatur ipso beneficio, vel pensione, et fit inhabilis ad alia obtinenda. Ex Trid. sess. 24. cap. 8. et sess. 25. cap. 14. de Reform.

(3) Hic casus est specialis mentionis.

perfecta, quae est concubitus maris cum foemina ad vas non debitum.

177. *Sodomitae incurruntne in aliquam poenam?*

Ex jure communi, si sint laici, in excommunicationem nemini reservatam; si clerici, incidunt in depositionis poenam, et detrudendi sunt in strictius monasterium (1). In Dioecesi Neapolitana mares exercentes sodomiam perfectam incidunt in casum reservatum Ordinario (2).

178. *An etiam in casum incidat, qui se passivum habet in sodomia?*

Litigium inter Theologos.

179. *Quid est bestialitas?*

Est coitus cum bestia; et etiam cum Cachodaemone.

180. *In quam poenam incidunt patrantes hoc crimen?*

In Dioecesi Neap. incidunt in casum reservatum Ordinario; sed tantum mares.

De Abortu.

181. *Quid est abortus?*

Est expulsio foetus immaturi ex utero matris.

182. *Ubi animatur foetus?*

In utero matris: uti patet ex Luca cap. 2. (3), et ex prop. damnata ab Inn. XI. (4).

183. *Quodnam tempus requiratur ad animandum foetum?*

Ex Theologis fere omnibus requiritur, si est mas,

---

(1) Cap. *Clerici* de excessibus Praelatorum. Et ex Const. Pii V. Clerici saeculares, vel regulares exercentes hoc crimen incidunt post sententiam in privationem omnis privilegii clericalis, officii, dignitatis, ac beneficii Ecclesiastici.

(2) Requiritur exercitium, seu tres, vel quatuor actus, et coitus perfectus. Ex Casu 2. sine excom. patet.

(3) *Spiritu Sancto replebitur ex utero matris suae.*

(4) Prop. 35. *Videtur probabile omnem foetum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum, in nullo abortu homicidium committi.*

spatium triginta, vel quadraginta dierum; si est foemina, sexaginta, vel octoginta dierum secundum praxim S. Poenitentieriae ad incurrendas poenas. Ex recentioribus experimentis juxta aliquos Doctores paucorum dierum spatium satis est.

184. *Estne licitum aliquando causare seu procurare abortum ad conservandam vitam matris?*

Directe nuuquam licet, sive sit foetus animatus sive inanimatus: quia esset homicidium, vel impeditio humanae speciei propagationis. Indirecte vero, videndum: vel foetus est inanimatus, et certa esset mors matris, licet; quia melius est, vitam matris existentem conservare, quam vitam futuram foetus; vel foetus est animatus, et iterum distinguendum: si ex judicio medicorum ambo sint morituri, licet; quia melius est vitam unius salvare, quam si ambo moriantur; si vero adsit probabilis spes quod foetus in lucem egrediatur, et suscepturus sit Baptismum, non licet; quia pretiosior est vita spiritualis foetus, quam vita corporalis matris.

185. *Estne licitum procurare abortum foetus inanimati, ne puella gravida deprehensa occidatur, aut infametur?*

Minime; et oppositum est damuatum ab Inn. XI. (1).

186. *Quaenam sint poenae contra procurantes abortum?*

Ex jure communi est excommunicatio a Pontifice reservata Ordinario, quando foetus est animatus, et abortus est secutus (2); hinc oritur etiam irregula-

---

(1) Prop. 34 *Licet procurare abortum ante animationem foetus; ne puella gravida deprehensa occidatur, vel infametur.*

Nunquam potest cohonestari hoc malum. Puella hac in angustia posita potest aliud medium quaerere, ut ab hoc periculo evadat: nempe arripere fugam, recurrere ad Superiores, petere consilium a viris piis, et prudentibus etc.

(2) Est haec reservatio specialis mentionis: uti eruitur ex Bulla Gregorii XIV. *Sedes Apost.* quae moderavit Bullam Xysti V. *Effraenatam.* Advertendum etiam est, quod procurantes

ritas. Ex jure Dioecesis Neapolitanae excommunicatio Ordinario reservata, si procuretur abortus per pharmacum, quando foetus est animatus; etiam effectu non secuto (1). Quae poenae extenduntur ad cooperantes (2).

187. *Inciditne in hasce poenas etiam foemina praegnans procurando abortum?*

Maxime; esto alii contrarium sentiant (3).

De Duello.

188. *Quid est duellum?*

Est singularis pugna duorum, vel paucorum privata auctoritate ex condicto accepta cum periculo occisionis, vel gravis vulnerationis, statuto tempore, et loco.

189. *Quid requiratur ad duellum proprie dictum?*

Singularis pugna privata auctoritate accepta ex condicto; periculum occisionis, vel gravis vulnerationis; et determinatio temporis, et loci (4).

---

abortum, vel cooperantes, incidunt ipso facto in inhabilitatem Beneficii, et officii Ecclesiastici; et si sunt clerici, ipso facto privantur Beneficio, et officio Ecclesiastico. Nam in hisce poenis non fuit moderata Bulla Xystina. Insuper omnes poenae istae ex Bulla Greg. fuerunt inflictae contra *scienter* procurantes abortum etc.

(1) Ex casu 12. in Tabella.

(2) Procurantes abortum; quando dubitatur, an foetus si animatus, probabilius non incidunt in poenas; quia poenae, utpote odiosae, ad casus certos sunt restringendae. Et idem dicendum de irregularitate; quia etsi in dubio homicidii contrahatur irregularitas ex cap. *Significasti*, et cap. *Ad audientiam*; tamen ex D. Ligorio L. 3. n. 396. cum aliis hoc intelligitur, quando homicidium est certum, et dubitatur de persona, vel de actione influxiva homicidii: ut clare constat ex allatis capitibus; non vero quando dubitatur, an ipsum homicidium fuerit secutum; siquidem quando non est expressum in jure, irregularitas non contrahitur.

(3) Lege D. Ligorium, qui contrarium tenet. lib. 3. n. 395. quaest. 5.

(4) Ex Const. Greg. XIII. *Ad tollendum.*

190. *Quotuplex est duellum?*

Duplex est: solemne, et simplex, seu privatum. Primum, quod fit cum solitis ritibus: nempe adhibitis testibus, patrinis, affixis cartulis, factis proclamationibus etc. Secundum, quod sine istis formalitatibus fit.

191. *Estne licitum duellum?*

Auctoritate privata est omni jure illicitum; quia nullo modo cohonestari potest, utpote intrinsece malum, ex periculo proximo mortis tam aeternae, quam temporalis ex Trid. (1). Publica auctoritate ob bonum commune est licitum: uti patet ex illo Davidis cum Goliath.

192. *Licetne viro militari, vel cuique duellum ad defendendum suum honorem, aut ad notam timiditatis eludendam, aut ad bona fortunae servanda, vel officium?*

Minime; etiamsi per metum gravem: quia hoc medium est intrinsece malum; et oppositum est damnatum a Benedicto XIV. (2).

---

(1) Sess. 25. cap. 19. de Reform. *Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.* Et patet etiam ex Const. Pii IV. *Ea, quae.*

(2) In Constitut. *Detestabilem*. Prop. I. *Vir militaris, qui, nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio suo, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae, ac promeritae spe perpetuo carere deberet; culpa vacaret, et poena, sive offerat, sive acceptet duellum.* II. Prop. *Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciant pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.* III. Prop. *Non incurrit Ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux, vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae, et officii.* IV. Prop. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare, et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.* V. Prop. *Asserta licentia pro statu naturae applicari potest*

193. *Quaenam sint poenae contra duellantes?*

Sequentes: committentes duellum (1), etiamsi tantummodo provocantes, vel acceptantes (2), incidunt ipso facto in excommunicationem Papae reservatam, in infamiam, proscriptionem bonorum; si moriantur in duello, vel ex vulnere accepto in duello, privantur sepultura Ecclesiastica, etiamsi dederint signa poenitentiae (3). In eamdem excommunicationem incidunt accedentes ad locum duelli, patrini, socii, spectatores ex condicto, et industria; consulentes, mandantes, procurantes duellum, etiam duello non secuto: dummodo per ipsos non steterit, quin duellum fuerit secutum. Item facientes, typis mandantes, publicantes, affigentes, intimantes cartulas; et omnes quomodocumque cooperantes, etiam non secuto duello. Item Imperatores, Reges, Duces, domini temporales concedentes duello locum in suis terris inter Christianos. Clerici committentes duellum, vel ad illud cooperantes insuper incidunt in privationem omnium dignitatum, officiorum, et in inhabilitatem ad illa, et alia obtinenda. Denique civitates, oppida, et cetera loca, in quibus sequitur duellum, permittentibus dominis, incidunt in interdictum Papae reservatum.

De Sollicitatione.

194. *Quid est sollicitatio?*

Est provocatio a Confessario facta poenitenti ad turpia, et inhonesta verbis, vel signis, vel factis.

195. *Quot peccata committit Confessarius sollicitans?*

Plura: unum contra castitatem; duo contra Religionem: ex injuria Sacramenti, et ex violatione voti castitatis; tertium contra charitatem ex indu-

---

etiam statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus justitia aperte denegatur.

(1) Sive privatum, sive solemne.

(2) Ex Constitut. Clementis VIII. *Illius vices.*

(3) Bened. XIV. *Detestabilem.*

ctione ; et juxta aliquos aliud etiam contra pietatem, si poenitens sit filia spiritualis.

196. *Quaenam sint capita sollicitationis?*

Sequentia : 1. in actu sacramentalis confessionis, 2. immediate ante , 3. immediate post , 4. occasione confessionis , 5. praetextu confessionis , 6. in confessionali , 7. in loco electo , vel eligendo ad audiendas confessiones cum simulatione confessionis. Ita ex Bullis Greg. XV. (1) et Bened. XIV. (2).

197. *Quaenam sint poenae statutae contra Confessarios sollicitantes?*

Ex jure communi sollicitantes in uno ex septem capitibus descriptis incidunt in poenam denuntiationis ; sollicitantes autem in actu , aut occasione , aut praetextu confessionis , incidunt etiam in perpetuam inhabilitatem ad sacrificium Missae post sententiam judicis (3). Ex jure vero Dioecesis Neapolitanae , ex-

---

(1) Bulla Greg. XV. *Universi Dominici* Const. Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae.*

(2) Primum caput habetur , quando fit sollicitatio dum poenitens confitetur. Secundum, quando inter sollicitationem, et confessionem nihil , vel parum temporis intercedit. Tertium , quando nullum moraliter , seu parvum temporis spatium intercedit inter confessionem completam , et sollicitationem. Quartum , quando ex petita , aut audita confessione fit sollicitatio : dummodo ex indiciis moraliter certis hoc desumatur. Quintum , quando sub ficto colore , et velamine confessionis fit sollicitatio , nullo facto verbo de confessione: sive fiat ex sola sollicitantis Confessarii intentione , sive ex condicto cum poenitente. Sextum , quando a confessionali fit cum quacumque alia persona extra confessionale vel sedente, vel stante etc. sine occasione , aut praetextu confessionis. Tandem septimum habetur , quando in alio loco destinato , vel electo ad audiendas confessiones fit sollicitatio simulando confessionem , nempe ita ut adstantes putent peragi confessionem.

(3) Ex decreto Bened. XIV. quod incipit : *In generali Congreg.* edito anno 1745. die 5. Aug. Haec inhabilitas est ferendae sententiae : ex declaratione S. Poenitentieriae : uti refert cl. Auctor Operis Istruzione pratica pei Confessori p. 200. tom. 2. hisce verbis : *Sacra Poenitentieria ad propositum dubium censuit respondendum, poenam perpetuae inha-*

cepto septimo capite, incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam, si sunt Confessarii saeculares; si Regulares ipso facto in suspensionem ab audiendis confessionibus (1).

198. *Sacerdos non Confessarius sollicitans incidit-ne in poenas?*

Incidit tantum in poenas de jure communi (2). Hinc clerici, vel laici sollicitantes in has poenas non incidunt, cum Sacerdotes non sint.

199. *Quid si Sacerdos sollicitans sit interpres confessionis, inciditne?*

Quaestio: sed rationabilius non incidit; quia interpres se habet potius ex parte poenitentis.

200. *Inciditne in poenas Confessarius, qui in actu Sacramentalis confessionis, aut in alio capite de septem, dat poenitenti chartam, vel munus turpitudinem continens, domi aperiendam?*

Maxime: quia revera sollicitat in hisce capitibus; et patet ex proposit. damnata ab Alexand. VII. (3) et Const. *Sacram. Poenit.*

201. *Estne denuntiandus Confessarius, qui masculum sollicitat?*

Maxime: uti expressum est in Bullis.

202. *Num sit denuntiandus Confessarius, qui puerum, vel puellam, aut quamcumque personam sollicitat, quae ob simplicitatem, vel ignorantiam non intelligit sollicitationem, aut inhonestos sermones?*

---

bilitatis ad celebrationem Sacrosancti Missae Sacrificium in casibus hujusmodi ferendae esse sententiae. Datum Romae in Sacra Poenitentieria die 10. *Feb.* 1785. Casus, de quibus ipsemet laudatus auctor interrogavit Sacram Poenitentieriam, sunt: *abutentes Missae Sacrificio ad sortilegia, et Confessarii sollicitantes ad turpia in actu, occasione, et praetextu confessionis.*

(1) Ex casu 8. in Tab.

(2) Quia in casu Dioecesis Neapolitanae requiritur, ut Sacerdos sollicitans sit Confessarius.

(3) Prop. 6. *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione etc.*

Maxime; quia habetur vera sollicitatio, aut inhonesta tractatio. Hinc denuntiandus est, etiamsi poenitens sollicitationi non assentiatur, ex eisdem Bullis.

203. *Quid si Confessarius sollicitet non pro se, sed pro alio; aut si roget, vel suadeat poenitenti, ut aliam personam inducat ad secum turpiter agendum?*

Est denuntiandus; quia revera sollicitat, uti ex Bullis apparet.

204. *Est denuntiandus Confessarius, qui habet turpia colloquia ad oblectamentum, non ad inductionem.*

Maxime; quia veram instituit inhonestam tractationem (1).

205. *Confessarius, qui assentitur sollicitationi poenitentis, estne denuntiandus?*

Quaestio. Sicut etiam quaestio est, an sit denuntiandus, si hoc fiat per metum gravem (2).

206. *Si Confessarius sit emendatus, aut longum tempus post sollicitationem effluxerit, estne denuntiandus?*

Maxime; quia denuntiatio est potius facienda ad rei punitionem: uti patet ex citata Bulla Bened. XIV. (3). At si sollicitans jam mortuus sit, non est facienda denuntiatio; quia jam pestis ab Ecclesia ablata est.

207. *Quinam teneantur denuntiare Confessarium sollicitantem?*

Tenetur ipsa persona sollicitata, et quicumque vidit, aut audivit sollicitationem propriis auribus,

---

(1) Si sollicitet ad venialia turpia, an sit denuntiandus iste Confessarius, quaestio.

(2) Ex Fulco cum aliis non est denuntiandus Confessarius per metum gravem sollicitationi assentiens. Nam quamvis non excusetur a peccato, tamen non incidit in poenas, quae non adstringunt, utpote leges positivae, quando adest grave incommodum.

(3) En verba: *Meminerint praeterea omnes, et singuli Sacerdotes . . . suos poenitentes, quos noverint, fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, sedulo monere . . . de obligatione denuntiandi . . . Etiamsi longum tempus post sollicitationem jam effluxerit.*

vel etiam auditu immediato; dummodo audierit a persona fide digna (1).

208. *Si quis sciat sollicitationem sub secreto, aut sub juramento, vel voto non revelandi, teneturne denuntiare?*

Maxime. Nam jus naturae privati cedere debet juri naturali communitatis (2): juramentum, et votum non obligant de re iniqua.

209. *Num teneatur denuntiare, qui dubitat de persona sollicitante?*

Maxime: tenetur exponere dubium; et ad Superiorem spectat discernere personam. Idem dicendum, quando non potest probari delictum sollicitationis.

210. *Quando ipse Confessarius sollicitans in se suscipit onus se denuntiandi, teneturne poenitens facere denuntiationem?*

Maxime; quinimo poenitens tenetur denuntiare, etiamsi Confessarius seipsum denuntiaverit (3).

211. *Teneturne poenitens denuntiare sollicitantem, si iste sit suus consanguineus?*

Quaestio inter Theologos.

212. *Quaenam causae excusant a denuntiatione?*

Impotentia vel physica, vel moralis. Attamen non excusatur poenitens, si per alium possit; vel si denuntiare negligat, quia correctionem fraternam vult praemittere (4).

---

(1) Auditu immediato, scilicet ex dictis ipsius sollicitantis, aut personae sollicitatae. Idipsum patet ex decreto Congreg. generalis Inquisitionis edito die 10. Martii, an. 1677. apud Felicem Potestà. An teneatur, qui auditu etiam mediato scit, non omnes DD. conveniunt.

(2) Etsi alii contrarium sentiant.

(3) Ex statuto Tribunalis Inquisitionis 26 Junii 1628. Ex prop. 7. damn. ab Alexandro VII. patet, sollicitatum non liberari a denuntiatione, si confiteatur cum ipso sollicitante. En verba: *modus evadendi obligationem denuntiandae sollicitationis, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest illum absolvere absquè onere denuntiandi.*

(4) Uti declaravit Alexander VIII. 8 Julii 1660.; et oppositum fuit proscriptum a S. Inquisitione Romana die 27. Septembris 1628.

213. *Inciditne in aliquam poenam, qui non vult facere denuntiationem?*

Maxime: in excommunicationem Papae reservatam, si intra mensem a die scientiae obligationis denuntiationem non faciat (1).

214. *Inciditne in poenam Confessarius non monens poenitentem de onere denuntiationis?*

Si scienter docuerit poenitentem non teneri, aut consulto non imponat; est denuntiandus tamquam suspectus de haeresi, et pro modo culpae puniendus. Si vero tantum non moneat a die scientiae, peccat graviter ex Bulla Gregorii XV.

215. *Qui innocentem Sacerdotem, vel Confessarium de falso sollicitationis crimine apud Ecclesiasticos judices accusat, inciditne in aliquam poenam?*

Incidit in casum Pontifici reservatum: qui casus est specialis mentionis ex Bulla Bened. XIV. *Sacr. Poen.*

216. *Cuinam facienda est denuntiatio?*

Inquisitoribus, ubi adest tribunal Inquisitionis: aliter, Ordinario. Si vero denuntiandus est Episcopus, Legatus Pontificis; tunc denuntiatio facienda est Summo Pontifici.

217. *Inciditne in aliquam poenam Confessarius turpiter agens cum poenitente extra casus denuntiationis?*

In Dioecesi Neapolitana incidit in casum reservatum: dummodo sollicitans sit Confessarius, aut Curatus, et persona sollicitata se fuerit ei frequenter confessa (2).

---

(1) Ex D. Ligorio elapso tempore, postea si fiat denuntiatio, excommunicatio non est amplius reservata. Nunquam profecto potest absolvi poenitens, nisi faciat denuntiationem, quia secus est indispositus.

(2) Ex casu 3. sine excommu. Incidit in hunc casum etiam Sacerdos simplex, quando sio se gerit in excipienda confessione in articulo, vel periculo mortis; quia tunc est Confessarius: dummodo frequenter persona ei confiteatur.

De Absolutione Complicis, ejusque nominis exquisitione.

218. *Estne valida absolutio complicis in peccato contra sextum praeceptum; et an sic absolvens incidat in aliquam poenam?*

Est nulla ista absolutio; quia complex ipso facto privatur jurisdictione ex Constitut. Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae*. Ex jure communi absolvens complicem hujusmodi incidit in excommunicationem Papae reservatam ex eadem Constit. (1). Ex jure Dioecesis Neapolitanae incidit ipso facto in suspensionem ab audiendis confessionibus Ordinario reservatam; si Sacerdos est saecularis, incidit etiam in excommunicationem eidem Ordinario reservatam (2).

---

(1) Hoc intelligitur de complice in peccato contra sextum praeceptum non solum quod opere completum fuit, sed etiam in quibuscumque inhonestis tractatibus minime postea executioni demandatis: sicuti essent tactus, oscula, colloquia turpia. Lege D. Lig. L. 6. n. 554.

(2) Ex casu cum excom. 8. et ex Synod. Neap. Pign. p. 2. cap. 5. n. 5.

Confessarius complex si suadeat, ut persona complex veniat ad seipsum pro absolutione, debet denuntiari tanquam suspectus de haeresi; quia indirecte docet absolutionem hujusmodi esse validam: quod est damnatum.

Si Confessarius absolvat complicem ex ignorantia juris, peccat, et semper nulla est absolutio; quia ignorantia haec est ei vincibilis. Si ex ignorantia facti, et absolutio cadat etiam super alia peccata, indirecte peccatum complicitatis valide absolvit. An ex ignorantia vincibili absolvens incidat in poenas de jure communi, probabilius non incidit. Nam ex Constitut. Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae* habetur haec expressio: *si confessionem excipere audeat*, et post pauca verba: *nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus sit, majoris quoque excommunicationis poenam* etc. Hinc colligitur, Constitutionem requirere ausum, temeritatem ad incurrendam excommunicationem; ideoque omnis ignorantia excusat praeter affectatam: ita compertum habet Josephus Pavone in opere. Il Battesimo laborioso, et proprie tom. 3; cujus titulus. La Luce fra le tenebre, disser. 11. cap. VI. n. 128.

219. *Quid si Confessarius absolvat suum complicem de peccato turpi, quod alias rite fuit absolutum ab alio Confessario, absolvitne valide?*

Maxime; quia ex communi DD. sententia Bulla loquitur de materia necessaria confessionis, non de materia voluntaria.

220. *Potestne absolvi complex, si illud peccatum fuerit commissum, quando Confessarius non erat Sacerdos, sed laicus?*

Minime; quia semper est absolutio complicis.

221. *Potestne absolvi complex in articulo, vel periculo mortis?*

Maxime: quando non adest alius Confessarius, vel simplex Sacerdos; vel quando non audiendo confessionem complicis oritur gravis infamia, aut scandalum. Secus, absolvens peccat, et incidit in poenas; sed semper valida est absolutio in hoc casu articuli, vel periculi mortis. Ita ex alia Bulla ejusdem Bened. XIV. quae incipit: *Apostolici muneris* (1).

222. *Peccatne, et incidit in aliquam poenam Confessarius, qui exquirit nomen complicis?*

Si tantum exquirit, graviter peccat, ob injuriam famae proximi, et Sacramento illatam (2). Vel dene-

---

Praeterea ex verbis Const. ejusdem maturius perpensis colligitur, excommunicationem, in quam absolvens complicem incidit, esse generalis reservationis; uti patet ex verbis comminationis exoommunicationis. Ita observat idem cl. Auctor Pavone in cit. loco: ubi in catalogo excommunicationum *latae sententiae* Pontifici generali reservatione reservatarum hujusmodi excommunicationem tertio loco adnotat: *La terza: quel Confessore che fuori del pericolo di morte assolve il complice nel peccato turpe*; o *pure l' assolve in morte, quando potrebbe procurare senza scandalo o infamia di farlo assolvere o da altro Confessore*, o *da un semplice Sacerdote*.

(1) Complex non potest absolvi etiam ex vi Bullae Cruciatae, vel Jubilaei: uti clare eruitur ex citata Bulla *Sacram. Poenitentiae.*

(2) Quia sic abalienantur Fideles a Sacramento Poenitentiae ex Const. Bened. XVI. *Suprema.* Quod si ex aliqua rationabili causa Confessarius debeat interrogare poenitentem, puta ob circumstantiam necessariam ad integritatem confes-

gat absolutionem poenitenti, nisi nomen complicis manifestet; suspendendus est ab audiendis confessionibus, ac puniendus arbitrio Ordinarii (1). Si vero videatur huic praxi adhaerere, denuntiandus est intra mensem tanquam suspectus de haeresi (2). Tam ipse Confessarius, quam omnes docentes, vel defendentes hanc praxim esse licitam, incidunt in excommunicationem Papae reservatam ex Const. Bened. XIV. *Suprema*.

APPENDIX

De aliquibus luxuriae speciebus.

1. *Quid est luxuria?*

Est inordinatus appetitus usus venereorum contra rationem.

2. *Quotuplex est luxuria?*

Duplex est: consummata, et non consummata. Prima consistit in voluntaria effusione seminis destinati ad generationem humanam. Secunda est illa, in qua non habetur hujusmodi effusio, sed dispositio ad illam. Consummata dividitur in naturalem, et in innaturalem. Prima, quae servat conditiones, quas ordo naturalis exposcit; secunda, quae illas conditiones non servat. Hinc species luxuriae naturalis consummatae sunt: fornicatio, stuprum, raptus, incestus, adulterium, sacrilegium venereum. Species luxuriae consummatae innaturalis sunt: mollities, sodomia, bestialitas, et modus inordinatus concumbendi (3).

sionis; vel ad removendum poenitentem ab occasione; aut ad dirigendum, ne poenitens deinceps in peccatum labatur, et ex hoc indirecte cognoscat personam complicem, non peccat: uti docet Ludovicus Muratorius in Commentariis ad laud. Bul. *Suprema*.

(1) Ex alia ejusdem Pontificis. *Ubi primum*.

(2) A qua obligatione eximitur poenitens, si agatur de suo peccato; sed tunc tenetur alius, qui forte sciverit; uti ex Bulla clare habetur.

(3) De his omnibus dictum est: exceptis aliquibus dicendis infra.

3. *Quid est mollities, seu pollutio?*

Est voluntaria seminis effusio extra concubitum.

4. *Quotuplex est?*

Duplex est: directe, vel indirecte voluntaria. Directe, quando ipsá pollutio immediate procuratur; indirecte, quando procuratur in causa. Quocumque modo procurata pollutio est graviter peccaminosa, prout intrinsece mala; cum opponatur fini generationis, et naturali destinationi seminis. Est de Fide, uti ex Apost. 1. ad Corinth. cap. 6. *Neque molles regnum Dei possidebunt*; uti etiam ex prop. damnata ab Inn. XI. (1).

---

(1) N. 49. *Mollities jure naturae prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.*

Quandonam pollutio ex aliqua causa proveniens praeter intentionem agentis, sit peccatum, dictum est in Tractatu de actibus humanis n. 13.

Pollutio nocturna non est peccatum, si desit complacentia, et non sit voluntaria in causa, directe, vel formaliter procurata, et postea causa non est retractata. Vide D. Lig. L. 3. n. 485. Hanc pollutionem inculpabiliter jam inceptam in somno non tenetur quis expergefactus abrumpere; quia malitia pollutionis consistit in procuratione; ideoque quando non adest complacentia, vel conatus ad complendum, a dolente, et invito permittitur. Ita communiter apud D. Lig. L. 3. n. 479. Optare hujusmodi pollutionem ob diminutionem concupiscentiae, et molestiae; an sit grave peccatum, litigium inter DD. Gaudere de ista pollutione absolute ob delectationem veneream, peccatum grave est; ob diminutionem concupiscentiae, et molestiae, non videtur esse peccatum grave.

Distillatio est fluxus humoris prostratici, quasi medii inter urinam et semen. Distillatio est grave peccatum, si directe procuretur, vel cum magna commotione spirituum, vel in magna quantitate. Hinc sob gravi obligatione tenemur, non solum hujusmodi distillationem directe evitare, sed etiam indirecte, vitando scilicet omnes causas proxime in eam influentes. Distillatio sine magna commotione spirituum, et in modica quantitate, tunc sine peccato possumus illam permittere. Directe vero, et data opera procurare quamcumqoe distillationem, etiam levem, prohibetur sub gravi. D. Lig. lib. 3. n. 477.

5. *Estne peccatum deliberate tangere pudenda alterius, sive ejusdem, sive diversi sexus?*

Si fiat ex rationabili causa, uti medicaminis etc. sine consensu, et periculo consensus, non est peccatum. Si vero fiat sine rationabili causa, peccatum grave est; etiamsi sine delectatione venerea; quia graviter opponitur naturali pudori, et ex se excitat veneream delectationem et commotionem.

6. *Quid si hoc fiat in propriis pudendis?*

Si fiat ex necessitate sine consensu, et periculo, nullum peccatum est. Si vero ex levitate, curiositate, sine consensu peccatum leve erit. Secus, peccatum est grave; quia est rectae rationi difforme, et causa proxima pollutionis.

7. *Estne permissum conjugibus propria pudenda tangere, vel promiscue se tangere?*

Si hoc fiat ob dispositionem ad copulam, aut ex alia rationabili, et necessaria causa, est permissum. Si ex animi levitate, curiositate, joco, absque vehementi partium commotione, delectatione venerea, et periculo pollutionis, leviter peccatur. Secus, est mortale ob veneream delectationem, causam proximam pollutionis.

8. *Suntne peccata oscula, tactus, amplexus in partibus honestis?*

Non sunt peccata, etiam inter marem, et foeminam, si fiant juxta morem patriae ob signum amicitiae. Sunt vero gravia peccata, si fiant extra matrimonium ob delectationem carnalem, et sensibilem; etiamsi sine intentione progrediendi; quia sensualitas excitatur: oppositum est damnatum ab Alexandro VII. (1).

---

(1) Prop. 40. *Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis.* Vide D. Lig. lib. 3. n. 415. Delectatio carnalis seu venerea est commotio spirituum genitalium; sensibilis est delectatio naturalis; uti attrectatio manus quatenus est lenis. Ibidem n. 416.

9. *Deliberate aspicere aliquam personam estne peccatum?*

Aspicere deliberate partes honestas sine delectatione venerea, et ejus periculo; sicut etiam propria pudenda, vel ejusdem sexus ex rationabili causa, nullum peccatum est. Aspicere ex curiositate, vel levitate partes supradictas absque delectatione, et ejus periculo, ac scandalo, peccatum leve est. Pudenda alterius sexus aspicere sine urgentissima causa, peccatum grave est. Semper est peccatum grave quicumque sit aspectus, quando adest delectatio venerea, aut ejus periculum proximum, aut scandalum.

10. *Quid dicendum de verbis turpibus, sive prolatis, sive auditis?*

Si ob pravam complacentiam, aut cum scandalo proferantur vel audiantur haec verba, sunt peccata gravia. Si ob jocum, iram, levitatem animi sine scandalo, et complacentia, peccata sunt levia (1).

---

(1) Lege D. Ligorium lib. 3. n. 426. Ex eodem Ligorio in Praxi Confessariorum §. 4. cap. 2. n. 40. si proferantur turpia de pudendis sexus diversi, difficulter a gravi peccato haec verba excusantur.

TRACTATUS

DE POENITENTIA.

1. *Quid est poenitentia?*

Poenitentia (1) duplici modo accipi potest: vel uti virtus, vel uti Sacramentum. Uti virtus, definitur: virtus supernaturalis, qua dolemus ex motivo supernaturali de peccatis commissis, quatenus sunt offensa Dei, cum proposito non peccandi de cetero, et cum voluntate satisfaciendi Deo. Uti Sacramentum, definitur: Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum ad remittenda peccata post Baptismum commissa per actus poenitentis, et per absolutionem Sacerdotis.

2. *In quo differunt, et in quo conveniunt virtus, et Sacramentum poenitentiae?*

Differunt in hoc: quod uti virtus consistit in actibus poenitentis, uti Sacramentum praecipue in absolutione Sacerdotis. Uti virtus fuit quovis tempore peccantibus necessaria; uti Sacramentum solum Christianis necessarium (2). Conveniunt in hoc: quod quidquid est proprium virtutis poenitentiae, continetur in Sacramento.

3. *Estne de fide, Poenitentiam esse novae legis Sacramentum?*

Maxime: et patet ex perpetua Ecclesiae traditione, et ex conciliis, praesertim Trid. sess. 14. can. 1. *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poeniten-*

---

(1) Poenitentia dicta a poenam tenendo ex S. Isidoro Lib. Etymologiarum c. ult.

(2) Aliqui addunt, etiam differre: quod virtus exigit semper contritionem, Sacramentum saltem attritionem.

tiam non esse vere, et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum, anathema sit.

4. *Poenitentiae Sacramentum estne necessarium necessitate medii, an praecepti?* (1).

Lapsis in mortale post Baptismum est necessarium ad salutem necessitate medii in re, aut saltem in voto (2) ex Trid. sess. cit. cap. 2.

5. *In quibus actibus habetur votum implicitum suscipiendi Sacramentum Poenitentiae; et sic salus obtineri potest?*

In actu contritionis perfectae, in actu perfectae charitatis, et in martyrio.

De materia remota, et proxima hujus Sacramenti.

6. *Quaenam est materia hujus Sacramenti?*

Materia hujus Sacramenti duplex est: remota, et proxima. Remota sunt peccata post Baptismum commissa; proxima sunt actus poenitentis: scilicet, cordis contritio, oris confessio, et satisfactio (3).

7. *Quotuplex esse potest hujusmodi materia remota?*

Triplex: scilicet necessaria, et sufficiens: et sunt peccata mortalia post Baptismum nunquam rite confessa. Sufficiens, et non necessaria: et sunt peccata

---

(1) Illud dicitur necessarium necessitate medii, sine quo, etiam inculpabiliter omisso, salus aeterna obtineri nequit. Hinc Poenitentia uti virtus est necessaria necessitate medii in re illis, qui graviter peccaverunt; uti Sacramentum est necessaria saltem in voto: quatenus scilicet Sacramentum, quod in re suscipi non potest, debeat saltem explicite aut implicite optari.

(2) Sive explicite, nempe expressa voluntate recipiendi Sacramentum; sive implicite, nempe in aliquo actu virtutis, in quo virtualiter hoc votum, seu voluntas continetur.

(3) Ex Trid. in sess. citata actus poenitentis vocantur *quasi materia*; quia non sunt materia ejusmodi, quae extrinsecus adhibetur; uti aqua in Baptismo etc.

venialia, aut mortalia alias rite confessa. Necessaria, et nŏn sufficiens: et sunt peccata mortalia dubia facti, non juris (1).

8. *Peccatum originale, et peccata commissa ante Baptismum, suntne materia hujus Sacramenti?*

Minime; quia sunt materia Baptismatis (2).

9. *An peccata commissa in ipsa susceptione Baptismatis sint materia Sacramenti Poenitentiae?*

Ex Divo Thoma sola fictio, seu indigna susceptio est materia Sacramenti Poenitentiae. Ex aliquibus Doctoribus sunt etiam omnia alia peccata tunc commissa.

10. *Peccata venialia suntne materia necessaria hujus Sacramenti?*

Minime ex Tridentino; sed utile est, illa Sacramento subjicere (3).

11. *Peccata mortalia alias rite confessa possuntne esse materia sufficiens hujus Sacramenti?*

Maxime; quia circa haec peccata potest pluries versari materia proxima (4).

---

(1) Dubia facti dicuntur peccata, quando dubitatur, utrum commissa fuerint; dubia juris, quando dubitatur, utrum sint mortalia, aut venialia.

(2) Ex Trid. sess. 5. can. 5. et ex propositione 19. Jansenii damnata ab Alexandro VIII. (in hisce terminis: *Homo debet agere poenitentiam tota vita pro peccato originali*). Nemo tenetur agere poenitentiam, et habere contritionem de peccato originali; de peccatis vero lethalibus ante Baptismum commissis, priusquam suscipiatur Baptismum, suscipiens tenetur elicere actum contritionis.

(3) Peccatum veniale in eo casu est materia necessaria per accidens, quando scilicet commissum est communicando in humanis cum excommunicato vitando; quia licet peccatum sit veniale, tamen huic peccato adnexa est excommunicatio minor, quae nisi absolvatur, reddit poenitentem indignum absolutione. Si vero hujusmodi excommunicatio absolvatur ab Ordinario extra Sacramentum, tunc cessat esse illud veniale materia necessaria per accidens.

(4) Nam peccata alias confessa, et remissa non desinunt esse jam commissa; et ideo Sacramentum habet materiam, in qua operatur effectum in actu primo, seu gratiam.

12. *Peccata dubia suntne materia necessaria hujus Sacramenti, et ideo exprimenda in confessione?*

Maxime: peccata mortalia dubia sive facti, sive juris (1).

13. *Quid est contritio?*

Est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero (2).

14. *Quotuplex est contritio?*

Duplex est: perfecta, et imperfecta, seu attritio. Prima est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, prout est offensa Dei infinite boni; secunda est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso ex metu gehennae, et poenarum, vel ex turpitudine peccati (3).

15. *In quo differunt contritio, et attritio?*

Differunt ratione motivi, et ratione effectus. Ratione motivi: quia contritio provenit ex motivo charitatis (4); attritio ex motivo timoris. Ratione effectus: quia contritio justificat extra Sacramentum cum

---

Non est necessarium, dicere haec peccata alias fuisse rite confessa, nisi quando hisce peccatis adnexa fuerit aliqua censura, reservatio, aliqua obligatio, quae jam ablata est; vel quando ob diversitatem status poenitentis peccata indicant diversam speciem: uti si quis erat laicus, quando commisit peccatum turpe, et nunc quando confitetur, est Sacerdos etc.; quia est necessarium ad rectum judicium.

(1) Etsi alii contrarium teneant. Vide D. Ligorium lib. 6. n. 473.

Si peccata sint dubia juris potest dari absolutio; quia sunt materia necessaria, et sufficiens; de peccatis dubiis facti non potest, nisi addatur aliud peccatum certum jam alias rite confessum. Peccatum, quod uti dubium est expositum in confessione, debet denuo manifestari, quando uti certum cognoscitur; non viceversa. Sicut etiam quando alicujus peccati mortalis speciei non recordamur, debemus manifestare in genere; et quando postea recordamur, debemus iterum manifestare in specie.

(2) Ex Trid. sess. 14. de Poenit. cap. 4.

(3) Ex eodem Trid. loc. cit.

(4) Etiamsi sit in gradu remisso.

voto suscipiendi Sacramentum; attritio justificat per Sacramentum re susceptum (1).

16. *In Sacramento Poenitentiae suscipiendo requiriturne contritio, an sufficiat sola attritio?*

Licet contritio summopere sit optanda, tamen non est absolute necessaria ad Sacramentum Poenitentiae suscipiendum; cum sufficiat attritio cum proposito non peccandi de cetero. Qualis vero attritio requiratur, litigium maximum inter Doctores. Aliqui docent, attritionem in Sacramento sufficientem necessario debere conjungi cum amore initiali erga Deum; alii vero negant (2).

17. *Dolor virtualis sufficitne ad Sacramentum suscipiendum?*

---

(1) Contritio perfecta semper justificat extra Sacramentum: uti patet ex propositione Baji damnata a Pio V. et Gregorio XIV.; et ex Tridentino loco citato. At ista contritio non semper remittit totam poenam temporalem, sed juxta mensuram vehementiae, et intensitatis contritionis: ex Tridentino sess. cit. can. 12. et ex sess. 5. can. 30.

(2) Ex Trid. Definitur: *et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat* (dolor imperfectus); *tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit.*

Advertendum est: quod actus solius dilectionis erga Deum sine formali dolore non est materia hujus Sacramenti. Est bonus, ac supernaturalis motus; si concipiatur attritio ex solo metu gehennae, aut poenarum, vel ex turpitudine peccati per fidem cognita; quia est donum Dei, et impulsus Spiritus Sancti, et ad gratiam in Sacramento impetrandam disponit: uti patet ex Trid. loco cit., et ex prop. 15. damnata ab Alexandro VIII. *Attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se non est bonus motus; ac supernaturalis.* Dolor denique conceptus ad obtinendam coelestem gloriam est bonus: uti constat. ex Trid. et a prop. damnata ab Alexandro VIII. Prop. 10. *Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.* Attritio vero naturalis ex motivo temporali non est motus supernaturalis: uti colligitur ex prop. damnata ab Inn. XI. Prop. 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

Maxime; quia actus doloris in virtute perseverat. At tanto tempore debet praecedere dolor absolutionem, quantum sufficit ad constituendum unum morale.

18. *Quaenam conditiones requirantur ad contritionem sive perfectam, sive imperfectam, seu attritionem?*

Sequentes: 1. ut sit interna, scilicet, ut corde concipiatur (1); 2. ut sit supernaturalis tum ratione principii, nempe ex auxilio gratiae, tum ratione motivi, nempe motivo supernaturali (2); 3. ut sit appretiative summa, scilicet ut concipiatur peccatum, prout est offensa Dei, esse summum malum, quod detestando poenitens sit paratus potius carere omni bono et perferre omne malum, quam Deum offendere (3); 4. ut sit universalis, scilicet, ut extendatur ad omnia peccata mortalia (4); 5. ut sit efficax, scilicet conjuncta cum praeparatione animi ad adhibenda media (5).

19. *Ad veram contritionem requiriturne mora temporis?*

Minime; quia homo potest a gratia Dei justificari in instanti.

20. *In eliciendo dolorem requiriturne propositum pro valore Sacramenti: et quid est propositum?*

---

(1) Ex Joelis cap. 2. *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.*

(2) Ex motivo supernaturali, seu per fidem ostenso, sive ex amore Dei, sive metu poenarum, et turpitudine peccati per fidem cognita.

(3) Contritio est conversio ad Deum juxta illud Joelis cap. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Hinc non debet esse summa in sensibilitate, sed in intellectu, idest in aestimatione.

(4) Omne peccatum mortale avertit a Deo; ideoque non potest remitti sine aliis: et infusio gratiae est incompatibilis cum peccato mortali in anima juxta illud Ezechielis c. 16. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis . . . et custodierit omnia praecepta mea vita vivet, et non morietur.* Dolor non debet elici de peccatis mortalibus singillatim, sed sufficit elici de omnibus in genere.

(5) Ad adhibenda quidem omnia media pro removendis peccatis cum spe obtinendi veniam a Deo per Jesum Christum.

Propositum est firma, et sincera voluntas non peccandi de cetero cum auxilio gratiae Dei. Propositum semper requiritur; quia sine illo dolor efficax esse non potest ex Trid. sess. 14. c. 4.

21. *Quaenam conditiones requirantur ad verum propositum?*

Propositum debet esse 1. efficax, idest excludere omnem voluntatem peccandi, et occasiones; 2. absolutum, idest independens a quacumque conditione: 3. firmum, idest conjunctum cum voluntate perseverandi in posterum in determinato proposito, etiam cum periculo vitae (1); 4. universale, idest cum animo abstinendi ab omnibus peccatis mortalibus (2).

22. *Quid si dolor fuerit elicitus sine intentione suscipiendi Sacramentum, potestne sufficere ad Sacramentum suscipiendum?*

Minime; quia dolor sic elicitus non est actus Sacramentalis, nec pars Sacramenti: cum non fuerit ad hoc ordinatus. At potest esse sufficiens, quando huic dolori conjunctum est desiderium justificationis (3).

23. *Teneturne quis novum actum doloris elicere, si post absolutionem recordetur alicujus peccati mortalis, et de illo petat absolutionem?*

Maxime; quia denuo conficitur Sacramentum, quod materiam, et formam exigit; quamvis alii contrarium teneant.

---

(1) Non obstat firmitati propositi timor peccandi ex propria fragilitate: quia iste timor est ex parte intellectus, non voluntatis.

(2) Propositum secundum aliquos debet esse expressum, et formale, idest non implicitum in dolore; quia ex Trid. habetur: *cum proposito non peccandi de cetero.*

(3) Nam tunc adest sufficiens voluntas confitendi. Ita Pallavicinus.

An per somnum interrumpatur dolor, quaestio est. Certum est, per peccatum mortale interrumpi. Utrum dolor debeat praecedere confessionem, vel tantum absolutionem, non una est Theologorum sententia. At in praxi tutius est, elicere actum doloris ante confessionem.

24. *In suscipiendo absolutionem venialium requiriturne dolor formalis, et propositum, saltem de aliquo peccato?*

Maxime sub gravi. Nam utrumque est materia essentialis Sacramenti (1).

De Confessione.

25. *Quid est confessio?*

Est legitima, et Sacramentalis accusatio de propriis peccatis facta Sacerdoti habenti potestatem, ad eorum veniam obtinendam per absolutionem (2).

26. *Confessio Sacramentalis estne ex institutione Christi?*

Maxime; et patet ex Trid. (3).

27. *Quaenam sint qualitates, seu conditiones requisitae ad confessionem?*

Multae assignantur a Theologis, sed secundum Anacletum, et alios ad tres reducuntur: nempe, ut confessio sit vera, dolorosa, et integra.

28. *Quid denotat: ut sit vera, dolorosa, et integra?*

---

(1) Qui dolet de venialibus, debet etiam haberi pro posito dè omnibus mortalibus.

Utrum detur Sacramentum poenitentiae validum et informe ex inculpabili defectu doloris, non conveniunt Doctores inter se. Qui negant, ita dicunt: aut poenitens ponit omnia requisita, et validum, et formatum suscipit Sacramentum; aut non ponit, et nec validum, nec formatum suscipit. Alii vero, qui affirmant, sic se exprimunt: posse Sacramentum esse validum, et informe ex eo, quod poenitens ponit omnia requisita, sed ex aliqua circumstantia impeditur gratia, uti esset: quando quis inculpabiliter non recordatur alicujus peccati, et non elicit dolorem universalem de omnibus, sed tantum de cognitis. Tunc quidem, cum deficiat materia proxima circa istud peccatum oblitum, non potest gratia infundi, stante adhuc in anima aversione a Deo; hinc Sacramentum erit validum, sed informe, seu sine effectu.

(2) Ex D. Thoma in 4. dist. 27. q. 3. a. 2.

(3) *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse de jure Divino . . . . anathema, sit.* sess. 14. can. 6.

Vera, idest, ut fiat sine falsitate, deceptione, et simulatione; *dolorosa*, ut fiat ex animo detestante peccatum; *integra*, ut sit manifestatio omnium peccatorum mortalium secundum numerum, speciem, et circumstantias necessarias.

29. *Estne peccatum mentiri in confessione?*

Deliberate mentiri circa materiam gravem, et necessariam, est peccatum mortale; circa materiam levem, et non necessariam, est peccatum leve (1).

30. *Quotuplex integritas confessionis?*

Duplex esse potest: materialis, et formalis. Materialis habetur, quando accusantur omnia peccata mortalia secundum numerum, speciem, et circumstantias necessarias, prout sunt commissa. Formalis habetur, quando accusantur peccata, prout hic, et nunc quis potest, et tenetur.

31. *Ad faciendam integram confessionem debetne praemitti diligens examen conscientiae?*

Maxime; uti patet ex Trid. (2). Nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. Hinc cum diligens examen exigatur, maxima diligentia est adhibenda perinde, ac in gravissimis negotiis adhiberi solet: ex Catech. Rom.

32. *Quaenam integritas requiratur in Sacramentali confessione?*

Ex se requiritur materialis, uti constat ex Trid. loco citato; sed sufficit formalis, quando habetur impotentia aut physica, aut moralis (3).

---

(1) Mentiri circa materiam gravem, et necessariam, uti circa dolorem, propositum, consuetudinem, occasionem, peccatum grave nondum confessum; vel circa leve peccatum, aut mortale alias rite confessum, quando est materia necessaria, de qua debet dari absolutio. Nam tunc deficit materia necessaria Sacramenti.

(2) Sess. XIV. c. 5.

(3) Impotentia physica habetur, quando quis physice non potest omnia peccata manifestare: uti ex defectu memoriae, idiomatis, temporis etc. Impotentia moralis, quando non possunt manifestari peccata, nisi cum valde gravi incommodo sui vel alterius: nempe si timeatur grave damnum temporale, vel spirituale sibi, vel alteri.

33. *Estne justa causa dimidiandi confessionem magnus concursus poenitentium in die alicujus solemnitatis, vel indulgentiae?*

Minime; et oppositum est damnatum ab Innocentio XI. (1).

34. *Qui per interpretem potest confessionem facere, teneturne ad illam?*

Maxime; saltem ex praecepto charitatis, quando diu debet in eo statu manere ex D. Thoma. An adsit illi obligatio omnia peccata mortalia manifestandi, quaestio inter DD. Sed probabilius in articulo mortis tenetur secundum aliquos.

35. *Si quis non possit confiteri peccatum suum, nisi revelet complicem, teneturne illud peccatum confiteri?*

Quaestio inter DD. (2). Attamen si per hujusmodi manifestationem grave damnum timeatur complici, tunc potest quis tacere: dummodo alium Confessarium non possit adire (3).

36. *Cessante impedimento teneturne poenitens postea confiteri peccatum omissum ex aliqua rationabili causa?*

Maxime; quia semper viget praeceptum divinum:

---

(1) En prop.59. *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessum ratione magni concursus poenitentium: qualis e. g. potest contingere in die alicujus festivitatis, indulgentiae.*

(2) Qui negant, dicunt: praeceptum naturale servandi famam proximi praevalere Divino positivo de integritate confessionis. Affirmantes cum D. Thoma hisce rationibus: 1. quia apud Confessarium non habetur diffamatio; 2. quia si licet ex rationabili causa manifestare delictum alterius cum debitis circumstantiis, a fortiori in hoc casu; 3. quia complex committendo delictum cessit juri suo.

(3) Confessarius praevidens poenitentem manifestaturum nomen complicis, debet admonere ne dicat, quando sine circumstantiis manifestantibus nomen complicis peccati speciem intelligere potest.

De poenis contra Confessarios exquirentes nomen complicis vide in tractatu de Peccatis n. 222.

uti patet ex Trid., et ex propositione 11. ab Alexandro VII. damnata (1).

37. *Integritas confessionis debetne esse quoad valorem Sacramenti apud eumdem Confessarium, et in ordine ad eamdem absolutionem?*

Maxime. Nam secus confessio dimidiaretur. Quod constat ex concilio Florentino, et Trid. sess. cit. (2).

38. *Qui suam confessionem facit nullam, vel sacrilegam, teneturne simul cum illa sequentes confessiones reiterare?*

Si sequentes fecerit mala fide, tenetur cum illa omnes sequentes reiterare. Si bona fide, et non tenetur, nisi tantum invalidam reiterare.

39. *Peccata, quae sunt Confessario nota aliunde extra confessionem, teneturne poenitens confiteri?*

Maxime; quia tenetur poenitens accusare sua peccata. At rationabilius ex aliquibus DD. sufficit dicere: *confiteor peccata illa, quae tu scis me commisisse.*

40. *Quomodo manifestanda sunt peccata, quando poenitenti non constat illorum numerus certus?*

Tunc debet manifestari numerus probabilis, idest circumcirciter. At si ne possit quidem, exprimendus est status vitae, nempe tempus habitudinis, et quoties per diem, per hebdomadam etc. peccare consueverit.

41. *Quaenam peccatorum circumstantiae manifestandae sint in confessione?*

Ex Trid. sunt manifestandae circumstantiae mu-

---

(1) Trid. sess. 14. can. 7. Prop. 11. *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitae, vel ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

(2) Sess. cit. cap. 5. dicit ita: *qui scienter aliqua retinent, nihil Divinae bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Ubi dicitur per *sacerdotem* non per *sacerdotes.*

Est contra integritatem confessionis, si uni Confessario manifestentur peccata venialia, et alteri mortalia. Si vero contra; id non opponitur integritati; sed posset esse culpa, nisi rationabilis causa excuset.

tantes speciem, et in infinitum aggravantes, aut minuentes. Notabiliter aggravantes, et notabiliter minuentes utrum sint manifestandae, non una est Theologorum sententia (1).

42. *Estne exprimendus in confessione effectus malus ab actu externo secutus?*

Vel est praevisus, et ante retractationem secutus, est exprimendus; quia est volitus in causa. Vel non est praevisus, aut post retractationem secutus, et tunc non est exprimendus; quia neque directe, neque indirecte volitus (2).

43. *Confessio Sacramentalis debetne necessario esse secreta?*

Minime. Nam ex institutione Christi confessio publica non fuit prohibita, neque praecepta: uti patet ex Trid. sess. 14. c. 5.

44. *Confessio estne facienda Sacerdoti praesenti?*

Maxime. Nam hoc Sacramentum institutum est per modum judicii; ideoque poenitens debet se judici sistere: uti eruitur ex Trid. sess. cit. cap. 2. Hinc non potest fieri confessio, aut absolutio dari per internuncium, vel per litteras; et oppositum fuit damnatum a Clemente VIII.: tam poenitens, quam Confessarius incidit in excommunicationem Papae reservatam (3).

---

(1) Aliqui dicunt ex Catechis. Rom. esse exprimendas ad efformandum rectum judicium Confessarii. Alii docent, tantum exprimendas esse in furto, et in incestu pro gradibus propinquioribus. Alii tenent, non esse exprimendas.

(2) Ejusmodi est ebrietas ob parvam vini quantitatem non praevisa, omissio recitationis officii ob Breviarium in mare projectum post facti poenitentiam. Contra vero qui propinavit veneuum, tenetur dicere, si mors sit secuta, vel abortus, vel alia, quibus adnexa est poena, vel reservatio, vel censura, vel restitutio; quia jam posita est causa.

(3) Quae excommunicatio extenditur ad omnes docentes, defendentes hanc doctrinam uti licitam. En verba prop. damn. *Licet per litteras, seu per internuncium Confessario absenti sacramentaliter peccata confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Propositio fuit condemnata quoad solam

45. *Quaenam debeat esse hujusmodi praesentia Sacerdotis?*

Aut physica, scilicet quando Sacerdos videns poenitentem potest audiri; aut moralis, nempe quando altiori voce potest audiri. At semper requiritur, ut Sacerdos videat poenitentem.

46. *Quotuplici ex capite potest esse confessio invalida?*

Ex duplici capite: scilicet aut ex parte Confessarii, uti ex defectu jurisdictionis, formae substantialis, intentionis; aut ex parte poenitentis, uti ex inculpabili defectu doloris vel propositi, vel integritatis.

De satisfactione.

47. *Quid est satisfactio?*

Est compensatio poenae temporalis debitae ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus poenalibus, et laboriosis a Confessario taxatis, aliunde non debitis.

48. *Quotuplex esse potest satisfactio?*

Multiplex est: vindicativa, et medicinalis; in re, et in voto. Prima, quando datur in poenam peccatorum; secunda, quando datur ad peccata in posterum praecavenda. In re, quando actu fit satisfactio; in voto, quando habetur animus satisfaciendi. Deinde alia est realis, alia personalis, alia mixta, prout in rem largiendo, aut in opus faciendo, aut in utroque consistit (1).

49. *Satisfactio estne pars essentialis, anne integralis Sacramenti Poenitentiae?*

In voto est pars essentialis; quia absque voluntate satisfaciendi est nullum Sacramentum; in re, est pars integralis: idest valide recipitur Sacramentum, et nisi satisfactio adimpleatur, peccatur.

---

confessionem, et quoad solam absolutionem ex Decreto Pauli V. in responsione ad Cardinalem Bellarminum an. 1605. die 14. Julii: ita apud D. Ligorium lib. 6. n. 428.

(1) Ex. gr. Eleemosyna propriis manibus danda.

50. *Teneturne Confessarius satisfactionem injungere?*

Maxime sub gravi; et debet eam ante absolutionem injungere; quia est pars Sacramenti: dummodo poenitens valeat adimplere (1). Ideoque poenitens etiam sub gravi tenetur illam acceptare: ut constat ex Trid. sess. citata cap. 8.

51. *Quid si Confessarius obliviscatur imponere satisfactionem?*

Petita licentia a poenitente extra Sacramentum debet imponere (2).

52. *Quid si poenitens post absolutionem confiteatur aliud peccatum, de quo denuo recipit absolutionem, debetne imponi alia satisfactio?*

Maxime; quia cum novum conficiatur Sacramentum, nova materia, et forma requiritur.

53. *In imponenda satisfactione debetne Confessarius distinctim recordari omnia peccata?*

Minime; quia ut plurimum, est moraliter impossibile; sed tantum tenetur Confessarius recordari status poenitentis.

54. *Quaenam sint opera, quae Confessarius debet poenitenti injungere pro satisfactione?*

Opera bona, et poenalia; quae a Trid. ad tria capita reducuntur: nempe, ad orationem, jejunium, et eleemosynam (3).

---

(1) Uti si quis morti proximus non posset exequi ne levissimam quidem satisfactionem; aut si sit sensibus destitutus.

(2) Poenitens si advertat sibi non fuisse injunctam satisfactionem, debet monere Confessarium, ut imponat.

(3) *Bona*, quatenus debent esse actus virtutis peccatis contrariae: *poenalia* quatenus debent affligere poenitentem: ideoque ordinario non possunt imponi opera aliunde debita; quia non essent praecise adimpleta pro satisfactione. At si non possunt adimpleri alia opera, nisi praecepta; et tunc ex prudenti ratione possunt hujusmodi opera imponi.

Nomine orationis veniunt omnes actus religionis, idest oratio, meditatio, contritio, gratiarum actio etc. Per jejunium intelligitur omnis mortificatio externa, et interna. In eleemosyna comprehenduntur omnia opera misericordiae corporalis, et spiritualis.

55. *Peccat graviter, an leviter poenitens, si omittat adimplere satisfactionem?*

Per omnes Doctores graviter peccat, si poenitentia sit gravis pro mortalibus alias non rite confessis imposita; quia delinquitur in gravi obligatione. Secus, quaestio inter DD. Alii dicunt, non peccare graviter; quia materia levis non obligat sub gravi; alii rationabilius dicunt, semper graviter peccare, non ob levitatem materiae, sed ob injuriam illatam Sacramento ex defectu partis integralis (1).

56. *Quandonam poenitens teneatur adimplere satisfactionem?*

Quamprimum commode potest. Si vero tempus sit statutum a Confessario, eo tempore debet adimplere (2).

Poenitentia publica non potest imponi, nisi pro publicis peccatis ad reparandum scandalum ex Trid. sess. 14. cap. 8.

Apostolus monet: publice peccantes, palam esse corripiendos. Hinc publico peccatori condigna pro modo culpae poenitentia publica injungi debet. Pro occultis peccatis, etiamsi gravioribus prohibetur publica poenitentia imponi ex Rituali Romano.

Debet autem satisfactio semper imponi ex prudentia pro qualitate criminis, et conditione poenitentis, non ad libitum Confessarii, ut docet Trid. sess. 14. cap. 18. *Debent ergo Sacerdotes Domini quantum spiritus, et prudentia suggeserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate convenientes, et salutares satisfactiones injungere.*

(1) Hoc peccatum grave habetur, quando tota poenitentia non adimpletur; sed si aliqua pars omittatur, tunc talis erit culpa pro quantitate omissionis. Poenitens, qui totam satisfactionem non potest adimplere, tenetur ad partem, quando satisfactio est dividua; si vero est indivisibilis, et pars principalis impossibilis, ad nihil tenetur. Ita Fulco.

(2) Qui satisfactionem tempore statuto ab uno ad alterum diem differt, non peccat graviter; dummodo tempus non sit praecise statutum ad aliquam removendam occasionem peccati, vel ad aliquod praecisum motivum. Quando vero tempus non est statutum differendo diu poenitentiam ex gravi negligentia secundum aliquos graviter peccat. Semper autem tenetur exsolvere satisfactionem, quamvis tempore statuto non adimpleverit.

57. *Qui ex oblivione non adimpleverit satisfactionem, peccatne; et an teneatur denuo confiteri ad satisfactionem accipiendam?*

Si hoc accidit ex sua culpa, uti ex culpabili dilatione, peccat; secus, non peccat. Non tenetur denuo confiteri: quidquid alii contra sentiant.

58. *Estne adimplenda poenitentia, quando Sacramentum fuit invalidum, vel sacrilegum?*

Minime; quia deficiente principali deficit accessorium.

59. *An debeat satisfactio adimpleri ante absolutionem?*

Minime; et oppositum est damnatum ab Alexandro VIII. (1). Attamen potest imponi satisfactio exsolvenda ante absolutionem, quando prudentia hoc exigit (2).

60. *Debetne satisfactio adimpleri in statu gratiae?*

Dissidium inter Doctores; sed salubrius esset in statu gratiae adimpleri ob majorem fervorem, et meritum.

61. *Potestne poenitens satisfactionem per alium adimplere?*

Minime; tum quia ex Trid. satisfactio est actus poenitentis; tum quia oppositum est damnatum ab Alexandro VII. (3). An possit simul cum aliis adimplere, quaestio.

62. *Potestne poenitens satisfactionem sibi impositam commutare, saltem in melius?*

Minime; quia commutatio est actus Sacramentalis, et jurisdictionis Confessario competens in administratione hujusmodi Sacramenti.

---

(1) Prop. 16. *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex, et praescriptio naturae rei idipsum dictantes.*

(2) Uti quando timetur ne poenitens obliviscatur, vel satisfactionem omittat; aut quando requiritur ad cognoscendam poenitentis dispositionem.

(3) Prop. 15. *Poenitens propria auctoritate substituere potest alium, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.*

63. *Potestne Confessarius satisfactionem sive a se sive ab alio impositam, commutare?*

Simplicem satisfactionem stante justa causa potest commutare, sed in alia absolutione praevia cognitione summatim praeteritae confessionis. Satisfactionem praeservativam ab alio impositam, an possit commutare in aliam praeservativam, litigant Doctores (1).

64. *Confessarius inferior potestne commutare poenitentiam pro peccatis, vel censuris reservatis impositam a Superiore, aut ab habente facultatem.*

Quaestio inter Theologos. Alii negant; quia sicut Superiori competit absolutio danda, sic poenitentiae impositio (2). Alii affirmant; quia peccatum, vel censura est reservata, non vero poenitentia.

65. *Potestne poenitens, qui obtinuit commutationem, eligere primam poenitentiam?*

Maxime; quia commutatio fit in ejus favorem. Etsi alii contrarium teneant.

66. *Quinam sint effectus satisfactionis?*

Praecipui sunt: ex opere operato remissio alicujus poenae temporalis in non ponente obicem, et refraenatio a peccatis in posterum; quamvis multi numerentur a Trid. sess. 14. c. 8. et a Catechis. Rom. p. 2. c. 5. §. 68.

67. *Potestne haec satisfactio aliis applicari, sive vivis, sive mortuis?*

---

(1) Probabilius, ac rationabilius potest commutare; quia Confessarius habet ejusmodi potestatem, et nulla injuria affertur Sacramento, et poenitenti. Expedit in commutatione satisfactionis aliquid relinquere de prima satisfactione, ne Sacramentum antecedens totaliter privetur sua integritate.

(2) Praeterea reservatio praesertim fit a Superiore, ut adaequata poenitentia a se, vel ab aliis prudentibus Confessariis ab ipso delegatis, imponatur; ideoque videretur frustraneus fieri finis reservationis, quando Confessarius inferior posset commutare poenitentiam impositam pro reservatis. Ita etiam sentit D. Lig.

Causae pro commutatione satisfactionis possint esse: major spiritualis profectus; gravis difficultas in executione; periculum transgressionis; evidens excessus in priori poenitentia.

Maxime. Nam ex opere operato applicatur poenitenti, ex opere operantis potest aliis applicari.

De forma Sacramenti Poenitentiae.

68. *Quaenam est forma hujus Sacramenti?*

Sunt verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

69. *Suntne omnia haec verba ad essentiam necessaria?*

Secundum omnes DD. sunt necessaria verba: *te absolvo*; non sunt necessaria: *Ego, tuis, amen.* Verba: *a peccatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; utrum sint necessaria ad essentiam, quaestio. Omnes aliae preces antecedentes, et subsequentes, non sunt necessariae, et possunt omitti ex aliqua rationabili causa.

70. *Formae absolutionis estne praemittenda absolutio a censuris?*

Maxime, et sub gravi ex praecepto Ecclesiae; quia censura irretitus non potest Sacramenta suscipere. Excipitur suspensio, et interdictum generale, cui non dedit causam poenitens (1).

71. *Estne peccatum grave reiterare absolutionem in eadem administratione Sacramenti?*

Maxime sine justa causa; quia ex defectu materiae irritum fit Sacramentum. Rationabili ex causa, et sub conditione, non est peccatum (2).

72. *Licetne absolvere sub conditione?*

Vel conditio est de praeterito, aut de praesenti, dummodo sit vera, et stante justa causa, licet. Vel est de futuro; neque licet, neque valet; quia in actu suspenditur effectus Sacramenti, et adveniente conditione non adest amplius forma, et materia (3).

---

(1) Potest Confessarius valide absolvere unica absolutione a peccatis, et a censura; sed illicite contra usum Ecclesiae.

(2) Uti e. g. si dubitetur de priori absolutione.

(3) Quando apponitur conditio, sufficit, si mente apponatur.

De Ministro hujus Sacramenti, et ejus officio.

73. *Quinam est minister hujus Sacramenti?*

Solus Sacerdos, qui habet potestatem jurisdictionis, aut ordinariam, aut delegatam (1) ex Trid. sess. 14. c. 6. et 7., et can. 10.

74. *Simplex Sacerdos potestne aliquando administrare hoc Sacramentum?*

Maxime in articulo mortis ex immemorabili consuetudine a Trid. confirmata (2); ne anima fidelis periclitetur. Et potest absolvere ab omnibus peccatis, et censuris reservatis; etiamsi Sacerdos sit censuratus, irregularis, degradatus (3). Hoc extenditur communius, et probabilius a Theologis etiam ad periculum mortis (4).

75. *Potestne simplex Sacerdos absolvere in periculo, vel articulo mortis, quando haberi potest Confessarius approbatus?*

Minime. Excipitur vero, quando jam incepta est confessio; quando approbatus sit aliquo canonico impedimento ligatus; denique juxta aliquos, quando moribundus horret, aut erubescit se confiteri approbato (5).

76. *Absolvens a reservatis in articulo, vel pericu-*

---

(1) Jurisdictio ordinaria est, quae alicui competit ratione sui officii; delegata, quae alicui committitur ab habente ordinariam in foro externo.

(2) Ex cit. sess. cap. 6.

(3) Apud D. Lig. lib. 6. n. 560.

(4) Nam eadem ratio viget. Praeterea ex jure canonico articulus, et periculum in praesenti re pro eodem accipitur secundum usum Ecclesiae ex Cap. *Eos qui* de senten. excom. in 6., et ex cap. *si quis suadente* 17. q. 4. et alibi. Lege D. Lig. lib. 6. n. 561.

Articulus habetur, quando mors probabiliter imminet; periculum, quando mors probabiliter timetur: uti in bello, in partu periculoso, in morbo periculoso etc.

(5) Vide D. Lig. Lib. 6. n. 563.

lo mortis debetne poenitenti imponere, ut se praesentet Superiori, si convaluerit?

Vel absolvit a reservatis sine censura, nihil debet imponere; vel a reservatis cum censura, debet imponere onus se praesentandi sub poena reincidendi in eandem censuram (1). An debeat hoc in casu Sacerdos exigere juratam cautionem se praesentandi, non una est sententia Doctorum; sed probabilius requiritur in absolutione a specialiter Papae reservatis (2).

77. *Potestne absolvi moribundus, vel in periculo mortis constitutus, qui loquelam amisit?*

Vel dat signa poenitentiae, et debet absolute absolvi; vel non dat signa, vel sunt dubia, etiam potest sub conditione absolvi. Nam semper praesumitur in illo statu se poenitere, et remedium suae salutis quaerere.

78. *Quid si moribundus sensibus destitutus inveniatur in actu peccati?*

Quamvis magnum sit dissidium inter DD.; tamen est sub conditione absolvendus. Nam ex D. Thoma homo mutari potest in instanti a Divina gratia (3).

---

(1) Reincidit in easdem censuras specie, non numero; ut patet ex cap. *Eos*, *qui* de sent. excom. in 6.

(2) Uti esset a sex casibus Clementis VIII. extra Urbem, et intra Italiam; ab haeresi externata. Vide n. 120.

(3) Sacramenta propter homines. Eo magis Divina misericordia ei favere praesumitur, quia advocavit Sacerdotem ad hunc moribundum. Aliqui excipiunt perfecte ebrium; quia in isto non potest praesumi dispositio ob mentis perturbationem. At si dubitetur, an sit perfecte ebrius, vel non, potest absolvi sub conditione.

Si moribundus sit haereticus, non potest absolvi, nisi signa conversionis dederit. Si vero dubitetur, an sit haereticus, vel quia aliquod signum nostrae Religionis secum habet, vel quia est in locis, in quibus indistincte commorantur haeretici, et catholici; et tunc potest sub conditione absolvi. Si vero dubitetur, num sit Christianus, an Judaeus, Infidelis, in illis locis, ubi sunt tantum Infideles; et non potest absolvi, nisi aliquod signum Religionis Christianae habeat.

79. *Ecclesia suppletne aliquando defectum jurisdictionis in Sacerdote?*

Maxime; quando habetur titulus coloratus, et error communis. Solus titulus coloratus non sufficit, quia deficit bona fides in poenitente; an sufficiat solus error communis, litigium inter DD. Sed probabilius sufficit (1).

80. *Simplex Sacerdos potestne absolvere a venialibus?*

Minime: uti constat ex Decreto Inn. XI.

81. *Requiriturne approbatio Episcopi illius loci, in quo excipiuntur confessiones, an sufficiat approbatio Episcopi alterius Dioecesis?*

Absolute requiritur approbatio Episcopi loci, in quo excipiuntur confessiones; ut constat ex Trid., et ex Const. Clem. X. *Superna*: quamvis plures Doctores contrarium teneant. Hoc requiritur, etiamsi poenitentes sint subditi Episcopi, a quo Confessarius fuit approbatus (2).

82. *An Regularis habeat jurisdictionem excipiendi confessiones, si fuerit injuste reprobatus?*

---

(1) Nam eadem ratio viget: nempe ne eadem incommoda sequantur.

Semper peccat graviter, qui sine jurisdictione absolvit.

Titulus coloratus habetur, quando a Superiore alicui Sacerdoti conferlur titulus ad excipiendas confessiones: uti Paroecia, Poenitentieria, approbatio ad confessiones excipiendas etc.; et titulus iste vel nulliter collatus fuit, vel fuit amissus ob aliquod impedimentum, puta simoniam, aut aliquod occultum crimen obstans collationi. Error communis habetur, quando communiter, et publice creditur inesse jurisdictio in aliquo Sacerdote, quae revera non inest.

(2) Pro Regularibus expresse fuit statutum non posse, ut ex Constitut. cit. Clem. X.: pro Confessariis saecularibus est quaestio; sed probabilius ex Bulla Innoc. XII. *Cum sicut*: non posse dicendum. Nam in ea Bulla confessiones, quae fiunt sine approbatione Ordinarii loci, declarantur nullae, et Confessarii declarantur suspensi, etsi sint electi privilegio Bullae Cruciatae. Quod confirmavit Benedic. XIV. Bulla, quae incipit: *Apostolica*: apud D. Lig. lib. 6. n. 548.

Minime; et oppositum est damnatum ab Alexandro VII. (1).

83. *Religiosus iter agens potestne se confiteri simplici Sacerdoti.*

Sacerdoti sui Ordinis potest ex privilegio Xysti IV. et Innocentii VIII. Alteri Sacerdoti in defectu Sacerdotis sui Ordinis, an possit se confiteri, quaestio est. At ex D. Ligorio cum aliis potest, ut eruitur ex citato privilegio Innocentii VIII. excepta facultate a reservatis (2).

84. *Generaliter approbatus ad confessiones saecularium estne approbatus ad confessiones Monialium?*

Minime; sed requiritur expressa facultas ex cit. Constit. Clement. X. *Superna.*

85. *Potestne Parochus suum subditum absolvere in alia Dioecesi, ubi non est approbatus?*

Maxime; dummodo hoc sine scandalo fiat. Nam Parochus habet jurisdictionem in suos subditos ubicumque inveniuntur: ex declarat. S. Congregationis die 5. Decembris 1707.

86. *Potestne Parochus eligere sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem sine facultate Episcopi loci?*

Minime; et oppositum est damnatum ab Alexandro VII. (3).

87. *Potestne Episcopus in aliena Dioecesi Sacerdotem simplicem sibi in Confessarium eligere?*

Minime: uti patet ex declaratione S. Congregationis a Gregorio XIII. confirmata. Solum hoc privilegium istis conceditur, ut possint secum ducere Confessarium approbatum, et ei se confiteri.

---

(1) En prop. 13. damn. *Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo praesentato, et injuste reprobato.*

(2) Scitu dignum est: Regulares extra casum itineris non posse confiteri Sacerdoti alterius Ordinis, aut Sacerdoti saeculari sine expressa licentia sui Praelati ex Inn. IV. Apud D. Ligorium lib. 6. n. 574.

(3) Prop. 16. *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

88. *In quam poenam incidit Sacerdos absolvens sine facultate?*

Si praetextu facultatis absolvat a sex casibus a Clemente VIII. specialiter reservatis, (1) vel a casibus ab Episcopo reservatis, incidit ipso facto in excommunicationem Papae reservatam, in privationem beneficiorum, in inabilitatem ad eadem in posterum obtinenda, et in privationem vocis activae, et passivae (2).

89. *Quaenam sint officia Confessarii?*

Sequentia: munus ministri, judicis, medici, et doctoris. Ideoque dotes ejusdem sunt, probitas vitae, scientia conveniens, et prudentia.

90. *In quo consistit probitas vitae?*

In vitae exemplaritate, et statu gratiae. Rationabilius autem hic status gratiae sub gravi requiritur tantum in danda absolutione, quia tunc ministratur Sacramentum (3).

91. *Quaenam debeat esse scientia in Confessario?*

Ea scientia, qua possit Confessarius discernere casus obvios, et saltem dubitare de difficilioribus relate ad loca, ubi audiuntur confessiones; et relate ad personas, quarum confessiones excipiuntur (4).

---

(1) Idest ab aliis casibus, qui vulgo dicuntur *extra Urbem*, et *intra Italiam*.

(2) Ex Decreto S. Cong. C. quod incip. *Sacra Congregatio* a Clemente VIII. confirmato. Si a casibus ex Bulla Coenae reservatis quis praesumpserit absolvere, incidit in excommunicationem nemini reservatam: ex eadem Bulla, quando vigebat. Si falsis pagellis usus id faciat, damnatur etiam per quinquennium ad triremes; si est clericus degradatur, ex Constit. Clement. VIII. *Et si alia*, et Urbani VIII. *Apostolatus*.

(3) Sacramentum a Sacerdote improbo administratum validum esse declaravit Tridentinum sess. 14. can. 10.

(4) Confessarius tenetur scire sub gravi: quid sit peccatum mortale, quid veniale; circumstantias necessarias manifestandas; casus, et censuras reservatas; obligationes restitutionis, satisfactionis, denuntiationis peccatis adnexas; naturam contractuum; proprietates virtutum; regulas communes, quae excusare possunt a praecepto, aut a peccato; et quae requiruntur ad rectam administrationem Sacramenti Poenitentiae.

92. *An Confessarius teneatur poenitentem interrogare?*

Quando cognoscit poenitentem ignorare, quae sunt necessaria ad integritatem confessionis, et ad Sacramenti valorem, tenetur caute, et discrete interrogare (1).

93. *Quando Confessarius cognoscit peccatum certo commissum a poenitente, et nondum confessum; teneturne de tali peccato interrogare?*

Si certo constet Confessario peccatum fuisse commissum, et nullam rationabilem causam fuisse poenitenti non manifestandi, tunc Confessarius debet interrogare; et nisi poenitens confiteatur peccatum, non potest absolvere; quia poenitens est indispositus. Secus, potest; quia poenitens stat pro se, et contra se (2).

94. *Quid si hoc sciat ex confessione alterius personae?*

Non debet absolvere, et interea debet, salvo semper sigillo Sacramentali, aliud medium excogitare, ut poenitens confiteatur peccatum. At si hoc nullo modo obtineri possit, neque poenitens potest ex aliqua causa removeri; tunc si sigillum videatur periclitari, est absolvendus.

95. *Quid agendum a Confessario, si commiserit aliquem errorem in administrando hoc Sacramentum?*

Vel erraverit circa materiam, et formam Sacramenti, (3) tenetur errorem supplere cum suo incommodo; praesertim si poenitens sit in probabili periculo mortis. Vel erraverit circa materiam restitutionis, et

---

(1) Debet Confessarius se abstinere ab accurata interrogatione, si praevideat adesse periculum alicujus formalis peccati. Nam praeceptum integritatis confessionis non obligat cum gravi damno, et scandalo.

Non tenetur quis denuo confiteri sua peccata Confessario indocto manifestata. Tantum tenetur supplere necessarium, in quo cognoscit Confessarium errasse; dummmodo hoc peregerit bona fide.

(2) Dummodo aliud non constet, et omnis interrogatio praemissa sit.

(3) Uti esset, si absolveret a reservatis sine facultate.

positive se habuerit, sive ex ignorantia vincibili, sive (1) invincibili, tenetur dedocere errorem, alias tenetur ad restitutionem; si vero negative se habuerit, non tenetur ex justitia. Vel denique circa alia erraverit, tenetur admonere poenitentem, quando commode potest. Hinc errans ex ignorantia vincibili, peccat; ex ignorantia invincibili facti, aut in casibus difficilioribus, aut ex inadvertentia, non peccat (2).

De Sigillo Sacramentali.

96. *Quid est sigillum Sacramentale?*

Est strictissima obligatio reticendi omnia, quae in confessione audita sunt in ordine ad absolutionem. Hinc differt a secreto naturali: quia sacramentale sigillum nunquam aperiri potest, secretum naturale potest in aliquo casu ob bonum commune.

97. *Quo jure obligat sigillum Sacramentale?*

Omni jure. Jure naturae, ex vi contractus impliciti reticendi omnia sub secreto manifestata; jure Divino, ex perpetua traditione, et Ecclesiae usu; jure Ecclesiastico, ex poenis contra sigilli violatores statutis (3).

98. *Quot peccata committit violans sigillum Sacramentale?*

Plura: scilicet contra fidelitatem ex tacita promissione secreti; contra justitiam ex violatione juris

---

(1) Quia cum cooperatus fuerit damno, uti causa positiva, debet tollere causam, cum cognoscit.

(2) Confessarius, qui ex malitia, dolo etc. aliquid commiserit in confessione, semper peccat, prout est delictum; et tenetur ad restitutionem, sive obligaverit ad non debitum, sive deobligaverit a debito.

(3) Ex multis canonibus, et tandem ex Lateranensi cap. XII. *Omnis utriusque sexus* de Poenitentia et Remiss. pecc.

Poenae contra violatores sigilli statutae sunt: depositio a Sacerdotali officio; et perpetua poenitentia in arcto monasterio, ex cit. cap. Later. Sed ad has poenas incurrendas requiritur, ut praesumtuose confessio reveletur.

poenitentis ad famam; contra Religionem ex injuria Sacramento illata (1).

99. *Quotuplici modo violari possit sigillum Sacramentale?*

Duplici modo: directe quando expresse dicto, vel signo peccatum manifestatur; et indirecte, quando verbis vel signis aliquo modo videtur dari cognitio peccati (2).

100. *Licetne aliquando aperire sigillum Sacramentale?*

Extra confessionem non licet sine expressa, et omnino libera licentia ipsius poenitentis (3); in confessione ipsius poenitentis licet; quia apertum est judicium Sacramentale in profectum poenitentis: quamvis alii contrarium sentiant.

101. *Peccata notoria caduntne sub sigillo, quando haec prius ignorabat Confessarius?*

Maxime; quia ex confessione novit (4).

102. *Peccata venialia caduntne sub sigillo?*

Peccata venialia in specie cadunt sub sigillo. Hinc dicere in genere: poenitentem confessum esse suam venialitatem, per se non violat sigillum. At o-

---

(1) Nam Fideles alienarentur a Sacramento, et odio illud haberent.

(2) Ex cap. cit. *Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.* Hinc si Confessarius duorum fratrum confessiones excipiens, bene de uno dicat, et de alio occurrente eadem occasione dicendi, silentium teneat; hujusmodi Confessarius indirecte prodiret peccata.

(3) Secundum plures Theologos non est fractio sigilli loqui cum poenitente extra confessionem, sed tantum peccaminosa est, quia cedit in odium, et alienationem a confessione, et parit ruborem in poenitentem. Potest Confessarius loqui, quando ipse poenitens prius incipit verba facere de dictis in confessione; quia tunc censetur licentiam voluntariam dedisse.

(4) Qui ex confessione novit peccata, quorum notitiam habebat extra confessionem, sed non ita certo, tenetur ad sigillum; secus, debet ex prudentia se abstinere, ne scandalum creet poenitenti, vel aliis.

ptimum semper est nunquam de confessione loqui.

103. *Potestne Confessarius extra confessionem uti scientia ex confessione acquisita?*

Si aliqua revelatio indirecta habeatur, aut gravamen poenitentis, non potest (1).

104. *Quinam tenentur ad sigillum Sacramentale?*

Non solum Confessarius, sed etiam omnes, qui immediate, vel mediate audierunt. Hinc interpretes, adstantes tenentur (2).

De Reservatione.

105. *Quid est reservatio?*

Est restrictio jurisdictionis in ordine ad aliquod peccatum vel censuram absolvendam.

106. *Quaenam peccata solent reservari?*

Peccata mortalia, externa, et consummata (3).

---

(1) Nam semper fieret confessio odiosa ipsi poenitenti, et aliis: ut constat ex decreto S. C. Generalis Inquisitionis auctoritate Inn. XI. edito die 18. Novemb. 1682. Hinc non potest Confessarius cum gravamine poenitentis uti hac notitia, etiamsi ipse Confessarius aliquod grave malum sit operaturus. Hoc in casu debet orare, et a Deo medium exposcere, ne sigillum frangat, et ut malum simul effugiat. Consule D. Lig. lib. 6. n. 657. Adverte, quod gravamen intelligitur quaecumque suspicio poenitentis, Confessarium usum fuisse scientia in confessione acquisita.

Duo Confessarii ejusdem poenitentis non possunt se invicem consulere de auditis in confessione ipsius poenitentis sine ejus expressa licentia.

Si Confessarius interrogetur a judice: an sciat aliquid de suo poenitente, debet respondere se nescire, et potest etiam jurare: quia ut homo interrogatur, et ipse scit ut Deus, et ejus minister. Si vero interrogetur: an ex confessione sciverit, debet respondere hanc interrogationem esse impiam, sacrilegam, Christiano indignam.

(2) Qui reperit confessionem scriptam, tenetur ad arctissimum secretum naturale servandum, si sint peccata gravia, ita ut non possit eam legere, neque divulgare sine gravi peccato. Immo nonnulli tenent eamdem et obligationem secreti inesse, quam sigillum sacramentale importat.

(3) Mortalia reservantur, quia ista sunt materia neces-

107. *Daturne in Ecclesia potestas reservandi peccata?*

Maxime: et est de fide, ut patet ex Trid. sess. 14. can. 2. (1).

108. *Estne valida reservatio, si illicite facta fuerit?*

Maxime. Hinc simplex Confessarius non potest absolvere ab hujusmodi reservatis; quia revera ei deficit jurisdictio.

109. *Peccata reservata in confessione oblita, remanentne immunia a reservatione?*

Si oblivio fuit culpabilis, aut confessio fuit facta apud Confessarium non habentem facultatem, non remanent immunia a reservatione. Si oblivio fuit inculpabilis, et confessio facta fuit apud Confessarium habentem facultatem, litigium est inter Theologos (2).

110. *Absolutus a reservatis a Confessario non habente facultatem, teneturne denuo confiteri apud Confessarium habentem facultatem?*

Si egerit mala fide, tenetur repetere confessionem, quia fuit invalida ob sui indispositionem. Si bona fide, tantum reservata tenetur confiteri apud Confessarium habentem facultatem (3).

---

saria confessionis; externa, quia Ecclesia non solet reservare, nisi externa; consummata, quia regulariter exigitur delictum completum, ut reservetur. Dixi regulariter: quia interdum etiam reservantur peccata non completa, uti in provocatione duelli, in propinatione veneni quoad casum reserv. in Dioec. Neap.

Impuberes in Dioecesi Neapolitana in reservationem non incidunt, quia requiritur aetas quatuordecim annorum. De jure communi, an impuberes in reservationem incidant, quaestio. Fulgo affirmat Tom. 4. p. 204.

(1) *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi peccata . . . anathema sit.*

(2) Ex Salmanticensibus cessat reservatio; quia Confessarius voluit, poenitentem dispositum omnino liberare ab omni vinculo, a quo poterat liberare.

(3) Si poenitens tantum reservata confessus est, tunc repetere debet confessionem istorum peccatorum apud Confessarium habentem facultatem; quia absolutio fuit nulla ex defectu jurisdictionis in Confessario. Si confessus fuit reservata,

111. *Peccata reservata, quae confessus est poenitens apud Confessarium habentem facultatem remanentne libera a reservatione, si confessio invalide facta fuerit?*

Maxime, si inculpabiliter fuerit invalida. Si vero culpabiliter, quaestio inter Theologos. At ex D. Ligorio cum pluribus DD. remanent libera a reservatione; etiamsi sit sacrilega confessio. Nam semper habetur finis Superioris, scilicet praesentatio Superiori, et impositio poenitentiae ab habente facultatem (1).

112. *Simplex Confessarius in dubio de reservatione potestne absolvere?*

Si est dubium facti, potest; si dubium est juris, quaestio (2).

113. *Quid si hoc peccatum de reservatione dubium postea certo deprehendatur esse reservatum, debetne iterum accusari apud Confessarium habentem facultatem?*

Vel fuit absolutum ab habente facultatem, non debet denuo accusari; quia Confessarius absolvit per quantum poterat, et poenitens indigebat. Secus vero, quaestio est (3).

---

et non reservata, tantum tenetur repetere apud Confessarium habentem facultatem confessionem reservatorum; quia etsi fuerint haec reservata indirecte absoluta, tamen debent denuo subjici confessioni apud Confessarium habentem facultatem, ut directe absolvantur.

(1) Ex sententia D. Ligorii remanent libera a reservatione peccata, si in hujusmodi confessione fuerint manifestata. Debet hoc in casu satisfactio injuncta adimpleri. Lib. 6. n. 598.

Facultas absolvendi a reservatis extenditur etiam ad peccata commissa in confidentiam talis facultatis: dummodo aliud non exprimatur in concessione facultatis, uti in facultate Bullae Cruciatae, in qua dicitur: *dummodo peccata non sint commissa in confidentiam Bullae.* Extenditur praeterea etiam ad commissa post obtentam hanc facultatem; dummodo determinate, et definite non detur pro solis peccatis commissis.

(2) Vide de Conscientia n. 24. 37.

(3) Qui negant, dicunt: peccatum non amplius existere post absolutionem ejus, qui poterat in tali dubio absolvere. Alii affirmant, et dicunt: sicut peccatum dubium, si forte certum deprehendatur, debere denuo subjici clavibus, ita et peccatum dubium reservatum.

114. *Simplex Confessarius potestne in aliquo casu directe absolvere a non reservatis et indirecte a reservatis?*

Maxime: quando necessitas physica, vel moralis urget (1); quamvis alii contrarium sentiant. Attamen cessante impedimento poenitens tenetur adire Superiorem, ut directe absolvatur.

115. *Potestne simplex Confessarius absolvere poenitentem a reservatis, si injuste fuerit ei negata absolutio ab habente facultatem?*

Minime; quia cum sit simplex Confessarius, talis jurisdictio ei revera deest.

116. *Simplex Confessarius potestne absolvere poenitentem a peccatis tempore commissionis reservatis, quae tempore confessionis non sunt reservata?*

Maxime: nam quando absolvit, non adest amplius reservatio. Non vero vice versa; quia tempore absolutionis deest jurisdictio (2).

117. *Simplex Confessarius potestne absolvere peregrinum a reservatis in Dioecesi peregrini, cum in Dioecesi, ubi Confessarius absolvit, non sint reservata?*

Maxime (3); quia reservatio primario afficit Confessarium. At non vice versa.

---

(1) Uti esset ad vitam tuendam, ad infamiam vitandam, ad praeceptum Paschale adimplendum; ad sacrum faciendum: quod non posset sine infamia omitti.

(2) Peccata, quae commissa sunt aetate, et tempore, in quo non vult Superior esse reservata, si postea quis confiteatur aetate et tempore, in quo essent reservata, non sunt adhuc reservata. Uti in Neapolitana Dioecesi, ubi quaedam peccata commissa post aetatem 14. annorum reservantur.

(3) An possit Confessarius absolvere, si noverit poenitentem in fraudem reservationis hoc fecisse; magna quaestio inter Theologos. Aliqui dicunt: Clementem X. declarasse, non posse hujusmodi poenitentem absolvi: quam sententiam tenet Bened. XIV. de Synodo Dioec. lib. V. c. 5. n. 6. ut certam, et compertam. Alii defendunt: in fraudem intelligi, quando delictum jam ad forum contentiosum deductum fuerit. Hinc a fortiori patet, posse Confessarium ex communi usu, et praxi absolvere ab aliis peccatis non reservatis peregrinum juxta Const. Clem. X. *Superna.*

118. *Peregrinus censura suae Dioecesis ligatus potestne absolvi a Confessario Dioecesis, in qua moratur?*

Si sit censura a jure, aut ab homine reservata per sententiam generalem, potest absolvi (1). Si sit ab homine reservata per sententiam specialem, rationabilius non potest; ne ordo perturbetur (2).

119. *Quotuplicis generis sunt casus reservati?*

Alii sunt Papales, alii Episcopales.

120. *Quotuplicis generis sunt Papales seu Papae reservati?*

Triplicis generis sunt: scilicet generales, speciales, et specialissimi. Primi sunt, qui dantur in generali concessione; et sunt, qui continentur in corpore juris, nec indigent speciali mentione. Secundi sunt, qui dantur in speciali concessione; et praecipui sunt casus sex a Clemente VIII. specialiter reservati: idest duae percussiones, duae violationes, et duae simoniae (3). Specialissimi, qui dantur in specialissima

---

(1) Nam secus quisque Confessarius teneretur scire omnes reservationes singularum Dioecesum. Licet alii contrarium teneant.

(2) Potest aliquando absolvi: quando scilicet difficilis est accessus, longissime distat a suo territorio, et praestita cautione jurata se praesentandi suo Superiori quamprimum. His deficientibus ex aliqua rationabili causa etiam potest absolvi ab Episcopo territorii, in quo moratur.

(3) Duae percussiones: idest gravis, et enormis percussio clerici, vel monachi; duellum juxta terminos Tridentini, et Gregorii XIII: nempe duellum solemniter factum, et privatum ex condicto, inclusis etiam patrinis, sociis, et omnibus aliis scienter cooperantibus; etiamsi duellum non sequatur, si per ipsos non steterit. (Vide in tractatu de Peccatis n. 193.) Duae violationes: idest violatio immunitatis Ecclesiae quoad confugientes ad eam; et violatio clausurae facta ad malum finem ab existente extra monasterium. De simonia in tractatu de Religione dicetur n. 85. Hi casus sex Clem. VIII. dicuntur *extra Urbem et intra Italiam*; quia intra Italiam tantum, excepta Roma, sunt specialis reservationis. Violatio clausurae facta ab ipsis monialibus egredientibus a monasterio ad turpem finem est specialis reservationis, seu specialis mentionis juxta aliquos Theologos; ideoque non po-

concessione ; et sunt absolutio complicis, haeresis externata (1), violatio clausurae facta ab ipsa moniali ob turpem finem, donatio gratuita ultra decem accepta a Regularibus, et accusatio de falso crimine sollicitationis.

121. *Quotuplicis generis sunt casus Episcopales?*

Alii sunt *nobis*, scilicet a Sancta Sede Episcopis reservati (2) ; et alii sunt *a nobis*, scilicet ab ipso Ordinario sibi reservati. Qui sunt etiam generalis, et specialis mentionis, seu reservationis : et hi ultimi etiam dicuntur *sibi.*

122. *Episcopus potestne absolvere a casibus Papae reservatis?*

Quando sunt occulti, potest ex Trid. cap. 6. *Liceat* sess. 24. iu foro conscientiae tantum. Item ex eodem cap. potest dispensare ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, et non deductis ad forum contentiosum ; excepta irregularitate, quae provenit ex homicidio voluntario (3). Potest absolvere a publicis delictis, quando adest impotentia physica, aut moralis adeundi Romam.

---

test certo numerari inter casus specialissimos. Vide Vella de Bulla Cruciatae tom. 2. pag. 169. Accusantes innoxios Confessarios de falso crimine sollicitationis apud judices Ecclesiasticos est casus specialis mentionis, seu specialis reservationis, non specialissimae. Vide Pavone tom. 3. disser. II. cap. V. Battesimo Laborioso.

(1) Ex decret. *Liceat alias* Alexand. VII. 23. Mart. 1656., in quo habetur : *facultatem absolvendi ab haeresi, in Jubilaeis, vel similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab haeresi.*

(2) Hi sunt : publica levis percussio clerici, vel monachi; et etiam mediocris, seu gravis, si fiat ab ostiario ratione sui officii, vel inter clericos in collegio viventes ; abortus foetus animati secuto effectu ; delictum eorum qui incendiarii sunt, vel qui furantur Ecclesiam per effractionem, et expoliationem, ante denuntiationem ab Ordinario factam.

(3) Potest etiam Episcopus hanc facultatem delegare ; quia suo muneri est adnexa. Lege appendicem secundam in Tertia Parte n. 13.

123. *Ex hac facultate cap.* Liceat *potestne Episcopus absolvere a delicto haeresis occultae?*

Quaestio inter Theologos. Sed probabilius dicendum, Episcopus ex usu contrario renuntiasse (1). Certum est, eos non posse alteri delegare hanc facultatem.

124. *Potestne Episcopus uti facultate cap.* Liceat *cum peregrinis in sua Dioecesi morantibus?*

In casibus reservatis potest; in irregularitatibus vero, non conveniunt Theologi (2).

---

(1) Certum est, Praelatos Regularium non posse absolvere ab haeresi non subditum ex prop. 4. damnata ab Alexandro VII. En. *Praelati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta, et ab excomm. propter eam incursam.*

(2) Olim vigebant casus Bullae Coenae, nempe casus 23 fere omnes contenti in corpore juris, et specialiter reservati ex vigore hujus Bullae. Dicebatur Bulla Coenae, quia quotannis in feria quinta majoris hebdomadae in Coena Domini publicabatur. Cessante hac publicatione ex tenore ejusdem Bullae, cessat, sicut cessavit, specialis reservatio.

In Dioecesi Neapolitana casus reservati generales sunt, qui ponuntur in Tabella; speciales sunt sequentes: 1. locutio de obscoenis cum monialibus, vel cum aliis in monasterio degentibus, 2. invitatio clamorosa ad Ecclesias monialium, et regularium, etiamsi exemtorum; 3. expensae ultra decem ratione officii factae a monialibus, vel aliis in monasteriis, conservatoriis; collegiis, et domibus oblatarum degentibus in quibuscumque functionibus, aut festivitatibus; 4. suspensio clerici ob falsum, aut fictum, aut fiduciarium, fraudulentum patrimonium; 5. concubinatus: et casus nobis, seu a Papa Episcopo reservati. At Confessarius habens pagellam potest absolvere a tribus casibus: scilicet, a casu blasphemiae, sodomiae, et bestialitatis; et a casu medicorum, qui non curant confessionem imponere infirmis post tres dies visitationis. Parochi habent facultatem absolvendi sponsos habentes copulam inter se, si brevi sint matrimonium contracturi; et a casu interdicti Paschalis.

Casus Papae reservatus de donatione gratuita ultra decem accepta a Regularibus.

125. *Quid requiratur ad incurrendum casum donationis gratuitae ultra decem acceptae a Regulari?*

Duo: ut donatio sit omnino gratuita; et ut sit sine licentia Superioris (1).

126. *Cessatne hujusmodi reservatio, si acceptum restituatur?*

Maxime: uti constat ex eadem Bulla Bened. XIV. *Pastor Bonus.* At si condonetur a monasterio, reservatio non cessat ex decreto S. C. Regularium.

127. *Incurritne in hunc casum, qui bona fide recepit?*

Minime; sed veniendo in malam fidem debet restituere acceptum (2).

128. *Quid si donatarius sit impotens ad restitutionem?*

Excusatur a restitutione, et potest absolvi praestita promissione jurata restituendi, quando potuerit, sub poena reincidentiae.

129. *Excusaturne a reservatione, qui accipit donationem infra decem?*

Minime; sed casus remanet reservatus Cardinali Poenitentiario Majori, a quo potest absolvi injuncta aliqua eleemosyna Monasterio facienda (3).

---

(1) Ex Constitutione Urbani VIII. *Nuper a Congregatione*, et ex Clemente VIII. *Religiosae Congregationis.*

Non incurritur casus, si donatio sit onerosa, remuneratoria, pia ex licentia Superioris; si de rebus a Superiore concessis Religioso ad suum usum.

Ultra decem intelligitur, ultra decem scutos monetae Romanae, seu ducatos duodecim nostri Regni, et carolenos quinque.

(2) Si praescripserit ob ignorantiam facti, non tenetur; si vero consumpserit, tenetur, in quo factus est ditior.

(3) Si donatio sit de levi materia, excusatur a reservatione; dummodo materia non coalescant. Ita apud Vella.

APPENDIX

De praeceptis annuae Confessionis, et Paschalis Communionis.

1. *Tenenturne Fideles confiteri peccata sua?*

Maxime ex institutione Christi, ut patet ex Tridentino sess. 14. can. 6.; et ex Ecclesiae praecepto in Lateranensi IV. Cap. *Omnis utriusque sexus.* Hinc hoc praeceptum quoad substantiam est Divinum, quoad determinationem est Ecclesiasticum.

2. *Quonam tempore obligat hoc praeceptum?*

Jure Divino obligat in quovis probabili periculo mortis; et probabilius ex D. Ligorio, obligat lapsos in mortale peccatum. Jure Ecclesiastico semel in anno cum Fidelis ad aetatem discretionis pervenerit (1), ex eodem Cap. Lateranensis (2). Hinc omnes baptizati tenentur.

3. *Qui solum habet venialia teneturne ad hoc Ecclesiasticum praeceptum?*

Quaestio inter Doctores. Sed communius cum D. Thoma tenetur se praesentare Confessario, et ei declarare, se non esse reum peccati mortalis (3). Attamen si per annum quis confessus fuit venialia, et postea ante finem anni prolapsus fuerit in mortale, tenetur ad praeceptum; quia tunc incipit obligare.

4. *Quomodo annus computetur, infra quem debet adimpleri praeceptum?*

Alii computant a prima die mensis Januarii usque ad ultimum Decembris; alii a Paschate Resurrectionis ad aliud Pascha (4).

---

(1) Quando doli est capax: quod quidem communius solet esse ab anno decimo usque ad decimumquartum.

(2) Potest hoc praeceptum in toto anno adimpleri; quia ex Later. cit. tantum annus praescribitur.

(3) In 4. dist. 17. q. 3. a 1.

(4) Qui non potuerit intra annum adimplere hoc praeceptum, tenetur quamprimum possit; quia tempus est appositum ad sollicitandam, non ad finiendam obligationem. Sicut etiam tenetur anticipare adimpletionem praecepti in principio anni, quando praevidet, non posse postea adimplere.

5. *Quibus ex causis possit quis excusari ab hoc praecepto?*

Ex impotentia physica, aut morali: scilicet vel quando Confessarius haberi nequit; vel quando grave incommodum subiretur (1).

6. *Per confessionem voluntarie nullam adimpleturne hoc praeceptum?*

Minime; et oppositum est damnatum ab Alexandro VII. (2).

7. *Sacerdos, qui sola contritione de mortalibus se disposuit ad sacrum faciendum ob urgentem necessitatem, teneturne postea statim confiteri?*

Maxime, et quamprimum: scilicet intra triduum ex Tridentino sess. 13. cap. 7. Hoc autem est praeceptum, non consilium, a Tridentino impositum sub gravi; ut patet ex duabus prop. damnatis ab Alexandro VII. (3). Ad hoc vero praeceptum Tridentini non tenentur Laici.

8. *Quandonam praeceptum recipiendi Eucharistiam obliget Fideles?*

Ex praecepto Divino obligantur Fideles in quovis probabili periculo mortis, et saepe in vita; ex praecepto Ecclesiae obligantur saltem semel in anno tempore Paschali in propria Paroecia ex eodem Cap. Lateran., et ex Tridentino sess. 13. can. 9. (4). Hinc hoc praeceptum quoad substantiam est Divinum, quoad determinationem temporis est Ecclesiasticum.

---

(1) Non tenetur quis ad praeceptum; si confessio sit facienda per interpretem. Ecclesia enim non obligat cum tanto incommodo, ut patet ex Lateran. *Solus confitetur peccata sua.*

(2) Prop. 14. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.*

(3) Prop. 39. *Illa particula quamprimum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

Prop. 34. *Mandatum Trid. factum Sacerdoti sacrificanti est consilium, non praeceptum.*

(4) Ecclesia determinavit praeceptum Divinum suscipiendi Eucharistiam saepe in vita ad receptionem Eucharistiae semel in anno.

9. *Quinam tenentur ad hoc praeceptum?*

Omnes baptizati, etiam Haeretici, Schismatici, quando pervenerint ad aetatem discretionis. Hinc excommunicati, et interdicti peccant non adimplendo hoc praeceptum; dummodo per ipsos steterit, quominus adimpleretur.

10. *Quandiu durat tempus Paschale, in quo debent Fideles adimplere hoc praeceptum?*

Ex jure communi durat a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive; ex privilegio in Neapolitana Dioecesi extenditur usque ad Dominicam Trinitatis (1).

11. *Quid intelligitur nomine* propriae Paroeciae, *in qua debet hoc praeceptum adimpleri?*

Intelligitur propria Paroecia, vel alia Ecclesia de licentia proprii Pastoris, nempe Pontificis, Episcopi illius Dioecesis, vel Parochi proprii; aut etiam Cathedralis Ecclesia, ubi viget consuetudo, sicut Neapoli. Haec obligatio communicandi in propria Paroecia est sub gravi, adeo ut non satisfiat praecepto (2).

12. *Per sacrilegam communionem satisfitne praecepto?*

Minime; quia status gratiae est modus intrinsecus ad hoc praeceptum; et oppositum est damnatum ab Innoc. XI. (3).

---

(1) Ex rescripto S. C. 1745. obtento ab Eminentissimo Cardinali Spinelli.

Fagnanus in Cap. Omnis 12. de Poent. et remiss. in suis commentariis n. 46. refert decisionem S. Cong. Conc. quoad prorogationem temporis praecepti Paschalis hisce in terminis: *Cum Episcopus petiisset a S. Cong., ut prorogetur tempus communicandi intra Dominicam Palmarum, et Albis ob frequentiam, exiguum numerum Sacerdotum, et necessitatem agricolarum post Pascha, S. Congr. censuit, nihil novum decernendum, cum ipse possit id tempus ex causa prorogare.* Hoc plane intelligendum est ad actum.

(2) Vagi tenentur in Paroecia ubi inveniuntur; sicut etiam Peregrini; quia sunt ejus loci incolae: dummodo non possint ad propria redire tempore Paschali.

(3) Prop 55. *Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

13. *Quaenam sit poena contra violatores hujus praecepti?*

Ex jure communi est interdictum ab ingressu Ecclesiae ferendae sententiae, ut in cit. Lateran. Ex jure Dioecesis Neapolitanae idem interdictum latae sententiae Ordinario reservatum.

14. *Quid si quis tempore Paschali non adimpleverit praeceptum, an teneatur quamprimum adimplere?*

Maxime; quia principaliter praecipitur annua communio; praeceptum vero adimplendi tempore Paschali fuit appositum ad sollicitandam, non ad finiendam obligationem. Hinc qui non adimplet ex sua culpa, peccat, et in Dioecesi Neapolitana incidit ipso facto in interdictum reservatum (1); si sine sua culpa omittit, et postea cessante impedimento per decursum anni non adimplet, peccat: an incidat in interdictum, quaestio inter DD.

15. *Num teneatur Fidelis anticipare communionem, quando praevidet non posse tempore praescripto?*

Si praevideat toto anni spatio non posse recipere communionem, tenetur anticipare. Si praevideat non posse solo tempore Paschali, non tenetur. At si anticipaverit, et tempore Paschali cessaverit impedimentum, denuo tenetur recipere communionem, ut alteram partem praecepti adimpleat (2).

16. *Inciditne in aliquam poenam, si non communicans tempore Paschali accipiat schedulam vulgo* cartella *?*

In Dioecesi Neapolitana incidit in excommunicationem Ordinario reservatam: dummodo non communicans accipiat; fraudulenter accipiat ab altero; et accipiat ad faciendam fidem Parocho. Insuper in eandem excommunicationem incidunt, qui easdem sche-

(1) An per communionem sacrilegam incurratur supradictum interdictum, quaestio; sed probabilius incurritur. Nam per communionem sacrilegam non satisfit praecepto communionis Paschalis. Atqui non satisfaciens hujusmodi praecepto incurrit interdictum. Ergo sacrilege communicans incidit.

(2) An secus faciendo incidat in poenas, litigant DD.

dulas non communicantibus quomodocumque dant in fraudem; vel utcunque ad id cooperantes (1).

17. *Inciditne in istam poenam, si accipiat, vel det extra tempus Paschale?*

Maxime; dummodo sit ad faciendam fidem Parocho.

18. *Qui casu invenit schedulam, et Parocho exhibet, inciditne?*

Minime; quia non accipit ab alio. Sicut etiam non incidit, si accipiat, vel det alia quidem intentione, sed postea exhibet Parocho; quia tunc non habetur fraus requisita a Casu.

19. *Sacrilege communicans et accipiens schedulam ad faciendam fidem Parocho, inciditne in poenam?*

Quaestio inter Theologos. At quoniam poenae sunt restringendae, non videtur incidere; quia communicans accipit.

20. *Requiriturne ad incurrendum casum, ut de facto fiat fides Parocho?*

Minime; sed tantum sufficit fraudulenta intentio.

---

(1) Ipsemet accomodans schedulam, ut de se fidem faciat Parocho, non incidit.

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

De Fide.

Q. 1. *Quid est fides?*

Est virtus intellectualis divinitus infusa, qua ex auctoritate Dei revelantis firmiter assentimur omnibus veritatibus a Deo revelatis, prout nobis sunt ab Ecclesia propositae.

2. *Quotuplex est fides?*

Duplex: actualis, et habitualis. Prima est exercitium fidei, seu ipse firmus assensus ad fidem. Secunda est ipsa virtus supernaturalis inclinans intellectum ad firmiter assentiendum omnibus a Deo revelatis.

3. *Quotuplex est fides actualis?*

Multiplex est: interna, et externa. Interna est, quae tantum mente concipitur; externa, quae actibus externis manifestatur. Deinde alia explicita, alia implicita. Prima, quando expresse aliqua veritas creditur; secunda, quando creditur aliqua veritas generaliter contenta in aliis veritatibus explicitis (1). Denique fides alia est viva, seu formata, et alia mortua seu informis; prout est charitate conjuncta, vel non.

4. *Quodnam est objectum fidei?*

Objectum fidei aliud est formale, aliud materia-

(1) Ad fidem explicitam pertinet illa propositio veritatis: *Deus est unus, et trinus*; *Jesus Christus est Filius Dei.* Ad fidem vero implicitam est haec propositio: *Credo, quod credit Ecclesia*; *credo, quod continetur in Symbolo.* Ubi vide, quod explicite creditur Ecclesia, Symbolum; et implicite veritates ab illa propositae, et in hoc contentae creduntur.

le : formale est veritas ipsius Dei, seu infallibilis auctoritas Dei revelantis; materiale vero est Deus, et omnia a Deo revelata (1).

5. ***Fides estne necessaria necessitate medii ad salutem?***

Fides habitualis est necessaria necessitate medii, tam adultis quam infantibus: uti ex Evangelio Marci cap. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*; et ex Apost. ad Hebraeos cap. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Fides actualis est necessaria necessitate medii adultis rationis usum habentibus, uti ex Trid. Sess. 6. c. 6.

6. ***Fides actualis necessitate medii debetne esse explicita, an sufficiat implicita?***

De aliquibus veritatibus absolute debet esse explicita; de aliis sufficit implicita.

7. *Quaenam sunt veritates explicite credendae?*

Sequentes: Deum esse, et remuneratorem (2). Post sufficientem promulgationem Evangelii, mysterium SS. Trinitatis, et incarnationis Filii Dei, ejusque passionis, mortis, et resurrectionis (3).

8. ***Estne fides etiam necessaria necessitate praecepti?***

Maxime. Nam si fides est necessaria necessitate medii, hoc medium necessario praecipitur; ideoque habetur in Marco cap. 1. *Credite Evangelio.* Hoc praeceptum est divinum quoad subsantiam, Ecclesia-

(1) Objectum materiale duplex est: primarium, quod est ipse Deus; secundarium omnia a Deo revelata. Item formale dividitur in *quod*, et *quo*; primum est ipsa essentialis veritas divina, secundum est auctoritas infallibilis Dei revelantis, qua credimus.

(2) Ut constat ex Apost. ad Hebraeos cap. XI. *credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Ex Trid. sess. 6. cap. 7. et ex prop. 22. damnata ab Inn. XI. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii; non autem explicita Remuneratoris.*

(3) Uti ex Matt. cap. ultimo. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* fides in mysterium Incarnationis patet ex Joan. cap. 8., et ex Apost. ad Galat. 2. et Trid. sess. 6. c. 6.

sticum quoad determinationem (1). Affirmativum, et negativum simul; quatenus praecipitur a Deo revelatis assentire, et nunquam dissentiri, aut dubitare.

9. *Quasnam veritates ex hoc praecepto Fideles tenentur credere, et scire?*

Praeter eas, quae sunt necessitate medii, tenentur etiam explicite credere, et scire quoad substantiam omnes articulos Symboli Apostolorum, orationem Dominicalem, Decalogum, Sacramenta, et praecipue Sacramenta, quae suscipiuntur. Tenentur scire praecepta Ecclesiae, et ex pio usu Salutationem Angelicam (2).

10. *Quandonam hoc praeceptum obliget ad eliciendum actum fidei?*

Aliquando obligat per se, et directe; aliquando per accidens, et indirecte (3). Primo modo obligat: 1. quando quis pervenerit ad usum rationis, et veritates credendae sufficienter proponuntur; 2. in quovis probabili mortis periculo; 3. quando urgetur gravi tentatione contra fidem; 4. quando voluntarie in errorem contra fidem, vel dubitationem delapsus est. 5. Saepe in vita (4). Secundo modo: 1. quando quis debet elicere actum alterius virtutis, nempe spei, charitatis, poenitentiae, etc. 2. quando urget tentatio contra aliquam virtutem, quae nonnisi actu fidei potest

(1) Scilicet Ecclesia debet proponere veritates tamquam a Deo revelatas, et quomodo fideles debeant se exercere in fide.

(2) Haec omnia sunt memoria retinenda. At si quis sit mentis hebes, aut debilis, aut valde rudis, ita ut nullimode memoria retinere possit, sufficit habere sufficientem cognitionem eorum ad respondendum interrogationibus de his.

(3) Directe dicitur, quando ipsa fides obligat ad actum fidei eliciendum, quo omisso committitur speciale peccatum contra fidem. Indirecte dicitur, quando alia virtus obligat ad hunc actum, quo omisso committitur peccatum contra illam virtutem.

(4) Uti ex prop. damn. ab Alexand. VII. *Homo nullo unquam tempore vitae suae tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum ad eas virtutes pertinentium.*

superari, 3. quando requiritur ad justificationem. At sufficit hisce in casibus fides virtualis.

11. *Quomodo intelligatur illud saepe in vita?*

Secundum aliquos intelligitur semel in anno; per alios singulis diebus festivis. At rationabilius intelligitur obligari Fideles in illis diebus festivis, in quibus principaliora mysteria celebrantur. Ideoque merito damnata est opinio asserens, teneri fideles semel tantummodo in vita, vel ad quinquennium (1).

12. *Hoc praeceptum obligatne aliquando ad exterius profitendam fidem?*

Maxime; (2) et etiam cum periculo vitae, quando omittendo professionem fidei subtrahitur honor Deo debitus (3), et utilitas spiritualis proximo impendenda, ex D. Thoma.

13. *Licetne fidelibus uti vestibus infidelium ad fidem occultandam?*

Vel hujusmodi vestes sunt signum protestativum falsae Religionis, non licet: sic enim exterius negaretur fides. Vel non sunt signum protestativum, licet ex justa causa; quia nihil injuriosum affert fidei.

---

(1) Prop. 17. ab Innoc. XI. *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Prop. 6. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.*

(2) Ex illo ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

(3) Uti esset: quando quis interrogatus de aliqua veritate fidei a publica auctoritate, tacet: et constat ex prop. 18. damnata ab Inn. XI. *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuam confiteri, ut Deo, et fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

Ex Ecclesiae praecepto tenentur ad professionem fidei omnes, qui recipiunt beneficium curatum, canonicatum, dignitatem. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi in prima Synodo provinciali ex Trid. sess. 24. de Reform. Omnes Praelati Regularium, etiam ordinis militaris in acceptione Praelaturae ex Pio IV. Const. *Injunctum nobis.* Denique omnes Doctores, Regentes in gymnasiis; Concionatores, Magistri etiam cujuscumque artis liberalis ex Constit. Pii V. *In Sacramenta,*

De Vitiis Fidei oppositis.

14. *Quodnam est vitium fidei oppositum?*
Infidelitas, seu carentia fidei. Quae quidem triplex est: negativa, privativa, et contraria. Prima est carentia fidei in eo, qui nunquam de fide audivit. Secunda est carentia fidei in eo, qui fidem non vult audire, vel sufficienter propositae non assentitur. Tertia habetur in eo, qui fidem sufficienter propositam contemuit, vel eidem pertinaciter contradicit.

15. *Infidelitas estne peccatum?*
Negativa non est peccatum, sed poena peccati; et constat ex prop. Baji proscripta a Gregorio XIII.(1). Privativa, et contraria sunt peccatum grave contra fidem; quia continent gravem contemptum fidei (2).

16. *Quot sunt species infidelitatis contrariae?*
Sunt tres, nempe: Paganismus, Judaismus, et Haeresis: primus repugnat fidei nondum susceptae; alter repugnat fidei in typo susceptae; haeresis demum repugnat fidei in re susceptae (3).

De Haeresi.

17. *Quid, et quotuplex est haeresis?*
Est error intellectus voluntarius, et pertinax contra aliquam fidei veritatem in eo, qui fidem recepit. Et multiplex est: materialis, et formalis; interna,

(1) En prop. *Infidelitas pure negativa in iis, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.*

(2) Assensus fidei supernaturalis non potest stare cum notitia probabili de fide: uti constat ex prop. 21. damnata ad Inn. XI., quae dicebat. *Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne sit locutus Deus.* Hinc non excusatur infidelis a peccato infidelitatis, eo quod ductus opinione probabili credat sectam suam esse veram: ut ex prop. damnata 4. ab Innoc. XI. En prop. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

(3) Ad primam speciem reducitur Atheismum, et Mahumetismus; ad tertiam Apostasia, et Schisma non purum.

et externa; occulta, et manifesta. Materialis est, quando aliquid contra fidem ob ignorantiam creditur, vel profertur sine assensu interno; formalis est, quando creditur aliquid contra fidem ex voluntario errore intellectus, et pertinacia voluntatis. Interna, si mente tantum teneatur; externa, si aliquo verbo, vel signo externetur (1). Occulta, quando externatur nemine audiente, vel vidente; manifesta, quando coram aliis externatur.

18. *Quaenam conditiones requirantur ad haeresim formalem?*

Error intellectus contra aliquam fidei veritatem, et pertinacia voluntatis.

19. *Error contra fidem ortus ex ignorantia culpabili estne haeresis?*

Vel est ortus ex ignorantia crassa, et supina, non est haeresis: licet sit grave peccatum. Vel ex ignorantia affectata, quaestio inter DD. At dubitans deliberate de fide est haereticus (2).

20. *In quas poenas incurrunt Haeretici?*

Tantum haeretici formales externi, quamvis occulti, incurrunt in excommunicationem Papae reservatam, in irregularitatem, in privationem beneficiorum, et officiorum, in inhabilitatem ad alia in posterum obtinenda, et in poenam denuntiationis. Si sunt notorii, incidunt etiam in privationem sepulturae Ecclesiasticae, et in infamiam juris; si sunt nominatim denuntiati, etiam in privationem jurisdictionis spiritualis. Ex jure civili incidunt in poenam confiscatio-

(1) Haeresis potest externari verbis, vel factis. At vero ad incurrendas poenas debet esse haeresis externata sufficientibus verbis, vel signis. Signum, seu factum, quo haeresis interna externatur, debet esse moraliter malum; et debet externari animo profitendi eam. Hinc si quis retinens mente errorem, tantum profert conclusionem, nempe *ita est*, *ita credo*: vel in somno profert suum internum errorem; vel profert internum errorem animo capiendi instructionem, consilium, iste non dicitur haereticus externus. Adi D. Lig. lib. 7. n. 304.

(2) Ex cap. 1. de Haeretic. *Dubitans in fide, infidelis est.*

nis omnium bonorum, et in poenam capitis (1).

21. *Quinam haereticus est excommunicatus vitandus?*

Ille, qui est nominatim declaratus, et denuntiatus uti haereticus (2).

22. *Haec excommunicatio lata contra haereticos formales externos extenditurne ad alios?*

Maxime: ad defensores, fautores, receptores haereticorum, et ad credentes eis (3).

23. *Haeretici suntne denuntiandi?*

Maxime; etiamsi quis sub secreto, sub juramento sciat aliquem esse haereticum; et etiam cum periculo vitae, quia de bono fidei agitur.

24. *Estne praemittenda denuntiationi fraterna correctio?*

Minime: ex decret. Alexand. VII. *Licet alias*; quia bonum fidei exigit et correctionem, et punitionem delinquentis.

25. *Tenenturne consanguinei propinquiores denuntiare?*

Si haereticus eorum consanguineus est dogmatizans (4), tenentur; si non est talis, quaestio inter Theologos. Idem dic de complice (5).

---

(1) Ex Codice vigenti in Regno Neapolitano, docentes, praedicantes, aut in publico concionantes errorem contra fidem impio fine, plectuntur poena exilii extra regnum. Pars. 2. art. 100.

(2) Ex Concil. Constantien. et ex Extravaganti Martini V.

(3) Intellige quoad cooperationem in haeresi, vel adhaesionem ad errorem istorum in genere: si externe tantum se assentiri erroribus istorum manifestent: e. g. si quis dicat: credo, quod credit Calvinus. Ex cap. 13. de haereticis.

(4) Dogmatizans ex commùni sensu intelligitur, qui profert errorem animo faciendi proselytos, seu sectarios.

(5) Debet denuntiari haereticus, etiamsi delictum non possit probari: patet ex prop. 5. damnata ab Alexand. VII. *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Item si est mortuus, debet denuntiari; ut possit inquiri de effectibus sui erroris, scilicet scriptis, sectariis, etc.

26. *In quam poenam incidunt, qui haereticum non denuntiant?*

In excommunicationem Papae reservatam, si intra mensem a die scientiae hujus obligationis non denuntiant. Haec denuntiatio facienda est Tribunali Inquisitionis; et ubi non adest hoc tribunal, facienda est Ordinario. Episcopi, Nuntii, Legati Apostolici sunt S. Sedi denuntiandi (1).

27. *Suntne etiam denuntiandi suspecti de haeresi?*

Maxime: ex decreto Alexandri VII. supra allato.

28. *Quinam sunt suspecti de haeresi?*

Sequentes: Fautores, defensores, receptores haereticorum, quatenus sunt tales. 2. Legentes sine legitima facultate, retinentes, imprimentes libros prohibitos sub excommunicatione Papae reservata. 3. Proferentes deliberate blasphemias haereticales. 4. Laedentes sacras imagines, vel abutentes rebus sacris, vel verbis sacrae scripturae. 5. Apostatae a fide externi tantum, et materiales. 6. Docentes vel defendentes aliquam ex propositionibus ab Ecclesia damnatis. 7. Insordescentes per annum in excommunicatione majori. 8. Voluntarie omittentes annuam confessionem, vel communionem Paschalem. 9. Edentes carnes diebus prohibitis. 10. Matrimonium contrahentes vivente altera conjuge; vel legati solemni voto castitatis. 11. Malitiose frangentes sigillum Sacramentale, putando hoc esse licitum. 12. Non Sacerdotes Missam celebrantes, vel Poenitentiam administrantes. 13. Sacerdotes in Missa non consecrantes. 14. Sacerdotes intuitu confessionis sollicitantes. 15. Confessarii ab onere denuntiationis deobligantes, cum sciant esse faciendam. 16. Absolventes complicem in peccato turpi. 17. Sortilegi, Malefici, superstitionibus utentes, Astrologi judiciarii, et omnes ope daemonis utentes. 18. Lacerantes cedulones ab Ecclesia affixos; et plures alii ex juris Canonici locis, et Bullis (2).

---

(1) Litigant DD. utrum non denuntiantes in loco, ubi non adest Tribunal Inquisitionis, incidant in excommunicationem.

(2) Hi omnes dicuntur suspecti de haeresi; et sunt ut

29. *Incidunlne in aliquam poenam accedentes ad coetum haereticorum?*

In Dioecesi Neapolitana incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam, concurrentibus hisce conditionibus: scilicet, ut Fidelis adeat, et assistat; ut in eo coetu exerceantur conciones, catechismi, et alii ritus, praesertim ab Ecclesia damnati (1).

De lectione librorum prohibitorum.

30. *Quotuplicis generis sunt libri prohibiti?*

Sunt triplicis generis: alii sunt libri auctoris haeretici, et continent haeresim, vel de Religione ex professo tractant (2). Alii sunt libri auctoris catholici, et continent aliquam haeresim, vel dant suspicionem de haeresi. Alii denique, qui tractant de obscoenis, vel de rebus magicis.

31. *Cur prohibetur lectio, et retentio ejusmodi librorum?*

Ob periculum subversionis.

32. *In quam poenam incidit, qui libros prohibitos legit, vel retinet, vel imprimit, vel ad impressionem illorum proxime cooperatur, vel quomodocumque defendit?*

Si sunt libri primi generis, ex Bulla Coenae incidit in excommunicationem Papae reservatam (3). Si sunt secundi generis, vel sunt libri tractantes de astrologia judiciaria, vel de divinatione; aut sunt li-

tales denuntiandi, quando hoc faciunt infirma fide, idest non credendo: quando videntur huic praxi damnatae adhaerere.

(1) Ex primo casu in tabella. Si ritus sint Catholici, haec poena non incurritur. Qui accedit, et non assistit, incurrit in excommunicationem in corpore Synodi statutam: in quam excomm. incurrit etiam, quando exercentur ritus catholici, vel communes; quia coetum haereticorum adit.

(2) Etiamsi de doctrina catholica tractent, uti de scriptura sacra vel de aliqua sacra tractatione.

(3) Haec excommunicatio erat olim Papae reservata ex Bulla Coenae; cum enim non amplius nunc vigeat haec Bulla, excommunicatio est nemini reservata: juxta Regulam 2. Indicis, et ex Constit. Pii IV. *Dominici gregis.*

bri Talmudici, vel alii libri Hebraeorum contra Religionis dogmata; aut Alcoranum Basileae impressum, incidit in excommunicationem nemini reservatam (1). Si sunt tertii generis, tantum graviter peccat.

33. *Quaenam conditiones requirantur, ut legentes libros primi generis in excommunicationem incidant?*

Sequentes: ut scienter legant; et ut legant in materia notabili (2).

34. *Incurritne in poenam, qui legit libros auctoris catholici cum pluribus adnotationibus ab haeretico factis circa fidei veritates?*

Incidit in excommunicationem nemini reservatam: licet alii contrarium sentiant.

35. *Qui dat alteri librum ad legendum, ut ipse audiat, inciditne in poenam?*

Maxime; quia quod quis per alium facit, per seipsum facere videtur. Sanchez vero et alii (3) contrarium tenent. At si audiat legentes, non incidit; quando ipse non dedit librum.

36. *Potestne quis libros prohibitos retinere donec expurgentur?*

Minime; et oppositum est damnatum ab Alexand. VII. (4).

---

(1). Ex Const. Xysti V. *Coeli, et Terra*, et ex Const. Clementis VIII. *Cum Hebraeorum*: ut videre est apud clarissimum Pignatelli tom. 1. consultat. 101., n. 4. et tom. 2. consult. 191. n. 74.

Eadem excommunicatio extenditur ad legentes libros haeresiarcarum, etiamsi de errore, vel de Religione non tractent: ne lector ad eorum libros legendos alliciatur: ex Constit. Pii IV. *Dominici gregis.*

Si qui alii libri, prohibeantur sub excom. Papae reservata, uti libri catechismi etc. Carbonariorum, excom. est Papae reservata.

(2) De hac notabili materiae quantitate non una est DD. sententia. Certum est, esse notabilem quantitatem legere paucos versus continentes errorem, vel falsam doctrinam libri. In retentione ejusmodi librorum etiam datur parvitas materiae judicio prudentum.

(3) Apud D. Lig. lib. 7. n. 292.

(4) Prop. 45. *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

De Apostasia , et Schismate.

37. *Quid est Apostasia ?*

Apostasia triplex esse potest : nempe vel a fide, quae est recessus a tota fide Christi per Baptismum recepta ; vel a religione, quae est criminosa recessio ab Ordinis religiosi instituto sine animo revertendi ; vel ab Ordine , quae est regressus ad statum saecularem dimisso habitu clericali.

38. *In quam poenam incidit Apostata ?*

Apostata a fide incidit in easdem poenas haereticorum. A religione , in excommunicationem nemini reservatam , et in suspensionem ab Ordinibus sacris Papae reservatam, si in Apostasia fuerint suscepti (1). Ab Ordine , incidit ipso jure in infamiam ; et si post monitionem non resipiscat , est deponendus (2).

39. *Quid est Schisma ?*

Est voluntaria separatio ab Ecclesiae unitate.

40. *Quotuplex est Schisma ?*

Duplex est : purum , et non purum. Primum quando cum nullo errore contra fidem conjunctum est. Secundum , quando cum errore conjunctum est.

41. *In quam poenam incidunt Schismatici ?*

Non puri incidunt in easdem poenas haereticorum. Puri in excommunicationem Papae reservatam , in irregularitatem , et in inabilitatem ad beneficia. Fautores , receptores , defensores schismatici puri , incidunt in excommunicationem nemini reservatam (3).

De Spe.

42. *Quid est spes ?*

Est virtus Theologica divinitus infusa, per quam cum certa fiducia expectamus consequi Deum seu ae-

---

(1) Si criminose dimittant habitum , etiam prima vice in excommunicationem nemini reservatam incidunt.

(2) Receptores Apostatarum a fide, vel a Religione incidunt in excommunicationem Papae reservatam.

(3) Ex Const. Pauli IV. *Cum Apostolatus.*

ternam beatitudinem, et media ad illam obtinendam ex gratia, et meritis Christi (1).

43. *Quodnam est objectum spei?*

Materiale *quod* est ipse Deus, et omnia media tam spiritualia, quam temporalia ad Deum possidendum. Formale *quod* est ipsa Dei bonitas; et formale *quo* est promissio Dei omnipotentis, et fidelis.

44. *Tenemurne ex speciali Dei praecepto sperare?*

Maxime: et constat ex Apostolo 1. ad Timotheum cap. 6. *Praecipe non sublime sapere: neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo* (2).

45. *Quaenam sunt vitia spei opposita?*

Desperatio, et praesumptio. Prima est voluntas efficax abjiciendi omnem spem consequendi aeternam salutem ex divina misericordia. Secunda est inordinata confidentia consequendi aeternam salutem sine mediis ponendis. Una opponitur spei per defectum, altera per excessum. Utraque est peccatum grave in toto genere suo.

De Charitate.

46. *Quid et quotuplex est charitas?*

Est virtus Theologica divinitus infusa, qua diligitur Deus propter se super omnia, et proximus propter Deum. Et duplex est: habitualis, quae est ipsa virtus infusa; et actualis, quae est actus, quo diligitur Deus, vel proximus propter Deum.

47. *Quodnam est objectum charitatis?*

Duplex est: materiale, et formale. Materiale primarium est ipse Deus, secundarium sumus nos, et proximus. Formale est infinita Dei bonitas.

48. *Ex speciali praecepto Divino tenemurne Deum diligere?*

---

(1) Spes est habitualis, et actualis: scilicet ipsa virtus infusa, et actus, quo speramus. Sic etiam spes informis, et formata: ut dictum est de fide n. 3.

(2) Omnia, quae dicta sunt de fide quoad praeceptum eliciendi actum fidei, dicenda intellige de spe.

Maxime; nam habetur ex Deutoronomii cap. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua etc.* (1).

49. *Quonam amore tenemur diligere Deum, ut satisfiat praecepto diligendi Deum super omnia?*

Tenemur saltem amore appretiative summo cum aliquo fervore in Deum (2).

50. *Tenemurne ex praecepto Divino proximum diligere?*

Maxime; et constat ex illo Matt. cap. 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (3).

51. *Tenemurne ex hoc praecepto proximum diligere actibus internis, et externis?*

---

(1) Charitas erga Deum debet esse explicita, non vero implicita: quae autem tantum consistit in observantia divinorum praeceptorum: uti clare patet ex prop. 1. ab Alexand. VIII. damnata: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis.*

Hoc praeceptum charitatis est affirmativum, et negativum, prout dictum est de fide. Et idem dicito, sicut est expositum de fide, quoad obligationem eliciendi actum illius virtutis.

(2) Amor in Deum potest esse intensive summus, scilicet vehementior ex intensione, et ex fervore; et appretiative summus, idest, ita ut amor Dei praeferatur omnibus bonis, et sic existimetur Deus super omnia. Ex hoc praecepto deducitur, nos teneri ad referendas omnes nostras actiones ad Deum, saltem virtualiter, ex D. Thoma. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2.; virtualiter quidem, quatenus scilicet directio in Deum virtute prioris actualis directionis perserverat; vel cum per se actio est ad Deum directa, uti oratio, Missa etc. Hoc praeceptum referendi actiones ad Deum obligat ad actum hujusmodi eliciendum, quando tenemur ad actum fidei, spei et charitatis, ut supra dictum est.

(3) Nomine proximi veniunt omnes, qui sunt capaces beatitudinis supernaturalis. Hinc non solum Christiani, sed infideles, Hebraei: omnes nempe homines nomine proximi intelliguntur.

Diligere proximum sicut seipsum explicat D. Thoma: *Cum dicitur sicut teipsum, non est intelligendum quantum ad hoc, quod aliquis proximum sibi aequaliter diligat, sed similiter.* 2. 2. q. 44. a. 7.

Maxime: uti patet ex Joanne Epist. 1. cap. 3. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua; sed opere, et veritate*; et oppositum fuit damnatum ab Innoc. XI. (1).

52. *Quandonam ex hoc praecepto teneamur diligere proximum?*

Quoad amorem habitualem tenemur semper; quoad actualem tenemur tot vicibus, quibus tenemur ad actum dilectionis Dei, ut supra diximus. Tenemur autem proximum diligere actu externo cum actu interno conjuncto, quando scilicet proximum indiget nostro auxilio tam spirituali, quam corporali, eique illud praestare sine gravi incommodo possumus (2).

53. *Tenemurne aequali modo diligere, quae sunt ex hoc praecepto diligenda?*

Minime, sed secundum ordinem in personis, et in bonis.

54. *Quinam est ordo in personis servandus?*

1. Deus super omnia diligendus, 2. nosmetipsi, 3. proximus. Et in proximo diligendi sunt 1. sanctiores, et Deo cariores, 2. propinqui servato gradu proximiori, 3. extranei: ex D. Thoma.

55. *Quinam est ordo in bonis servandus?*

1. Deus uti summe bonus, 2. bona spiritualia nostri, et postea proximi (3) 3. bona corporis nostri, et postea proximi, 4. bona externa nostri, et postea proximi. Bonum commune debet praeferri bono privato.

---

(1) En duae propositiones damnatae: prop. 10. *Non tenemur diligere proximum actu interno, et formali.* Prop. 11. *Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus internos.*

(2) Dixi sine gravi incommodo, dummodo non sit in extrema necessitate aut spirituali, aut corporali.

(3) In extrema spirituali necessitate proximo tenemur succurrere etiam cum periculo vitae, quando spes probabilis adest juvandi proximum; secus, non: ad opus enim inutile nemo tenetur. Insuper potest quis privari bonis spiritualibus non necessariis ad succurrendum saluti spirituali, vel corporali proximi. At si deberet committi peccatum, etiamsi veniale, ad succurrendum proximo, non licet.

56. *Ex hoc praecepto diligendi proximum tenemurne inimicos diligere?*

Maxime: ex expresso praecepto Christi: Matt. cap. 5. *Ego autem dico vobis Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos.* Nec solum tenemur inimicos diligere interne; sed etiam externe, exhibendo scilicet signa dilectionis.

57. *Quaenam signa dilectionis tenemur exhibere inimicis?*

Ordinarie tenemur ad communia. Dixi ordinarie; quia quando signa communia non sufficiunt, tenemur ad particularia, quae censentur communia pro aliquibus personis, uti erga parentes, vel aliquas personas conjunctissimas (1).

58. *Ex hoc praecepto tenemurne injuriam remittere offensori?*

Maxime: ex Lucae cap. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, dimitte illi.*

59. *Teneturne offensor veniam ab offenso petere?*

Maxime; quia si debet offensus dimittere, a fortiori debet offensor petere veniam.

60. *Dantur casus, in quibus offensor non tenetur veniam petere?*

Maxime: si offensor sit valde superior offenso; quando petendo veniam prudenter censetur, iram offensi magis provocari (2).

De eleemosyna, et correctione fraterna.

61. *Quid est eleemosyna?*

Est actus virtutis misericordiae, quo datur indigenti aliquod ex commiseratione propter Deum.

---

(1) Signa communia sunt, quae omnibus praestantur, uti salutatio; signa particularia, quae aliquibus specialibus personis solent exhiberi, uti osculatio manus, verba reverentiae etc.

(2) Offensus potest actionem civilem, vel criminalem instituere ob solam compensationem damni, vel ob amorem justitiae. Caute debet procedere Confessarius, ne quis contegat sub praetextu justitiae aliquam vindictam, vel odium.

62. *Tenemurne ex praecepto charitatis eleemosynam largiri?*

Maxime: quando concurrit necessitas ex parte recipientis, et bonorum superfluitas ex parte dantis (1).

63. *Quotuplex est necessitas?*

Triplex: extrema, gravis, et communis. Prima est, in qua quis positus vita periclitatur, nisi statim adjuvetur. Secunda est, in qua quis positus sine subsidio aegre, vel difficillime vitam conservat. Tertia est, in qua constituuntur pauperes, qui ostiatim mendicant.

64. *De quibus bonis tenemur facere eleemosyna?*

In extrema necessitate indigentibus tenemur de bonis superfluis ad vitam; in gravi necessitate de bonis ad statum superfluis, in communi necessitate de bonis superfluis ad status decentiam.

65. *Tenemurne eleemosynis succurrere indigenti, quando potest adjuvari alio modo, scilicet commodato, mutuo?*

Non tenemur: dummodo proximus indigens habeat spem acquirendi, unde possit restituere.

66. *Tenenturne Ecclesiastici facere eleemosynam?*

Vel habent bona patrimonialia, aut quasi patrimonialia, tenentur de istis facere eleemosynam, sicut laici (2). Vel habent mere ecclesiastica, nempe ex beneficio, vel pensione, retenta parte necessaria ad

---

(1) *Quod superest date pauperibus.* Matth. Dantur bona superflua, uti constat ex prop. damnata 12. ab Inn. XI. *Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus, superflua statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluis statui.* Illa bona sunt superflua ad vitam, quae scilicet ad nostram, et nostrorum vitam non sunt necessaria; superflua ad statum, nempe non necessaria ad status conservationem; superflua ad decentiam status, idest non necessaria ad plenum status decorem. Non tenetur quisquam ad vitam servandam proximi erogare magnam pecuniam pro emendo remedio magni pretii; quia ad remedium extraordinarium ne pro vita quidem propria quis tenetur.

(2) Patrimonialia sunt, quae acquiruntur a clerico non intuitu Ministerii; quasi patrimonialia, seu clericalia, quae intuitu ministerii Ecclesiastici acquiruntur.

honestam sustentionem, reliqua tenentur dare in eleemosynam.

67. *Quinam ordo est servandus in operibus misericordiae?*

In extrema necessitate spirituali infans baptizandus adulto est praeferendus; in corporali pater matri praeferendus; mater uxori, uxor filiis (1). In necessitate gravi vel communi uxor filiis, filii parentibus sunt praeferendi; sic de aliis.

68. *Tenemurne ad correctionem fraternam ex speciali praecepto charitatis?*

Maxime; et patet ex Evang. Matth. cap. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe.*

69. *Quandonam obligat hoc praeceptum?*

Semper, ac concurrunt sequentes circumstantiae: nempe, 1. quando habetur certa notitia peccati, vel proximi ejus periculi; 2. quando adest probabilis spes emendationis; dummodo per silentium non videatur peccatum approbari; 3. quando sine gravi incommodo fieri potest correctio; 4. quando non adest alius superior, vel magis idoneus; dummodo possit, et velit corripere; 5. quando concurrit locus, tempus, et aliud ad profuturam correctionem (2).

De Odio charitati opposito.

70. *Quid, et quotuplex est odium?*

Est actus mentis adversantis aliquod objectum. Et duplex est: nempe odium inimicitiae seu personae, et abominationis seu qualitatis. Primum est illud, quo personae, quae nobis displicet, volumus malum, quatenus ejus malum est. Secundum est illud, quo personae adversamur non secundum se, sed secundum aliquam qualitatem ipsi adhaerentem, quae repugnat nobis, aut alteri, aut communitati.

(1) Laymann, Turnely secuti D. Thomam 22. q. 31. a. 3 ad 4: D. Lig. l. 2. n. 27.

(2) Qui tenentur ex justitia, uti pastores animarum, semper obligantur ad correctionem subditorum etiam cum gravi incommodo, et etiam cum periculo vitae in gravi necessitate correctionis.

71. *Odium Dei estne peccatum?*

Omne odium Dei est gravissimum peccatum in toto genere suo.

72. *Odium proximi estne peccatum?*

Vel odium est inimicitiae, peccatum grave est; si aversio sit gravis (1). Vel est odium abominationis, sine justa causa peccatum est; ex justa causa, non est peccatum (2).

73. *Quid dicendum de maledictione, seu imprecatione?*

Maledictio est enunciatio verborum, per quam imprecando, vel optando, pronuntiatur malum contra se, vel contra proximum. Quae quidem est peccatum grave, quando quis imprecatur malum grave ex animo deliberato optatum (3).

74. *Maledicere, seu imprecari malum creaturis irrationabilibus estne peccatum?*

Si maledicantur ut creaturae Dei, grave peccatum est; quod immo blasphemiae quodammodo aequivalet. Si uti sunt alteri utiles peccatum grave, vel leve erit, prout est malum, quod proximo eventurum esset. Vel uti sunt in se, peccatum veniale committitur, quia est verbum otiosum. Nullum peccatum est, si uti noxiae maledicantur.

Finis primae Partis.

---

(1) Secundum illud 1. Joannis cap. 3. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Si vero quis levem concipiat aversionem, vel ex levi displicentia aliquod malum optet, leviter peccat.

(2) Uti quando adversio est in solum vitium, quatenus ex amore benevolentiae volumus personam esse expertem illius vitii; vel quando vitium personae nocet alteri, nobis, vel ipsi vitioso etc. non est peccatum, si non sit inordinata. Secus, peccatum erit leve, si odium non sit grave. Apud D. Lig. L. 2. n. 30.

(3) Ex Antoine, et Cuniliati apud Fulco tom. 2. p. 264. peccat quis imprecando oretenus, quando adest scandalum; uti parentes coram filiis, aut alii coram pusillis etc.

INDEX

PRIMA PARS.

IN HAC PRIMA PARTE

ERRATA			CORRIGE
Pag. 39.	nota 1.	post	potest
p. 51.		privilgium	privilegium
p. 95.	n. 174.	potes	potest
p. 135.	*not.* 1.	dummmodo	dummodo
p. 145.	*not.* 3.	materia	materiae